Digitized by Google

EX MUNIFICENTIA
FERDINANDI III. M. E. D.
DIE 3. IUNII 1791.

Digitized by Google



Digitized by Google

9. 7. 101.

C.7

ARS METRICA,

ID EST

ARS CONDENDO-RUM ELEGANTER VERSUUM,

AB UNO

E SOCIETATE JESU.

EDITIO SEPTIMA.

PRIORIBUS AUCTIOR
ET CORRECTIOR

Cum Privilegio Sac. Cæſar. Majeſt. & Facultate Superiorum.

Auguſtæ vindelicorum & Oeniponti,
umptibus JOSEPHI WOLFF,
MDCCLV.



Digitized by Google

'ACULTAS R. P. PROVINCIALIS,
CUM PRIVILEGIO CÆSAREO.

CUm Dominus Josephus Wolff, *Bibliopola Auguſtanus denuo typis recudere deſideret* ARTEM METRICAM *ab uno è Societa- Jeſu compoſitam, ego* Adamus Dichel, *usdem Societatis per ſuperiorem Germa- iam præpoſitus Generalis, poteſtate ad id ibi facta ab A. R. P. noſtro Ignatio vice- mite univerſæ Societatis præpoſito Gene- ıli, eidem ad ſeptimam duntaxat hanc itionem facultatem impertio, ſimulque mmunico Privilegium Cæſareum, quo iis Bibliopolis, atque Typographis prohi- tur, ne dictum librum citra conſenſum ıperiorum recudere, aut intra fines S.R. inferre præſumant. In cujus rei fidem has manu propria ſubſcriptas, & conſueto ficii mei ſigillo munitas dedi Landishuti ı. Nov. 1753.*

ADAMUS DICHEL.

LECTORI.

ECce 7mò prodit in lucem *Ars Metrica* tam amicè excepta, cum primùm ac ſecundò videri cœpta eſt, quàm ſollicitè quæſita, cum deſiit. Fuit hæc multorum in eam propenſio, & (ſi ita loqui fas eſt) Humanitas, ut ejus in Rempubl. Literariam merita ubique prædicarent. Quæ certe commendatio tantùm valuit, vix ut ullum fuerit toto Regno Gymnaſium, quò non Artis hujus metricæ nomen, liberque pervaſerit; ubi non ſit cum aliquâ gratulatione exceptus; ubi denique non ex ejus lectione fructum expectatione ſuâ majorem, multi retulerint. Hinc facilè in ſpem venio, fore, ut idem Liber, cui nova quædam ſive utilitatis ratio, ſive formæ dignitas acceſſit. Humanioris literaturæ Candidatis deinceps & jucundior accidat, & fructuoſior evadat. Hoc vero ſi (ut ſpero) contigerit, adduci me fortè patiar, ut aliud haud abſimile opuſculum in lucem edam; & quod in ſtrictâ oratione *Arte* meâ *Metricâ* præſtiti; Arte aliâ, quam *Oratorii Styli Artem* nuncupo, idem efficiam in ſolutâ. Tu intereà, Lector, ſi quid in hac Editione Typographorum erravit incuria, corrige: ſi quid ipſe peccârim, ignoſce.

AR-

ARTIS METRICÆ SYNOPSIS.

CAPUT I.

De Carminum pedibus ſeu menſuris. Pag. 1

CAPUT II.

De variis Carminum generibus. 2
Sectio I. *Carmen Hexametrum.* 2
Sectio II. *Carmen Pentametrum.* 3
Sectio III. *Carmen Sapphicum & Adonicum.* 3
Sectio IV. *Aſclepiadeum, Glyconicum, Pherecratium.* 4
Sectio V. *Carmen Phaleucium ſive Hendecaſyllabum.* 5
Sectio VI. *Carmen Alcaicum.* 6
Sectio VII. *Carmen Jambicum.* 7
Sectio VIII. *Carmen Scazon.* 8
Sectio IX. *Carmen Anapæſticum.* 9
Sectio X. *Carmen Anacreonticum.* 9
Sectio XI. *Alia Carminum genera.* 10
Sectio XII. *Varia ſuperiorum carminum nomenclatura.* 13

CAPUT III.

De Poëticis Verſuum numeris. 14
Sectio I. *De iis, quæ vitioſum reddunt ſtrictæ orationis numerorum.* 14
§. I. *Durior ſtrictæ orationis numerus vitio cæſuræ.* 15
§. II. *Durior ſtrictæ orationis numerus vitio ipſarum vocum.* 16
§. III. *Durior ſtrictæ orationis numerus vitio eliſionis.* 18
Sectio II. *De iis, quæ ſuavem reddunt ſtrictæ orationis numerum.* 19
Sectio III. *De iis, quæ eruditum reddunt ſtrictæ orationis numerum.* 22

INDEX.

CAPUT IV.

De primis Poëticæ locutionis elementis. 24
Sectio I. *Idiotiſmi Poëtarum ex figurata Syntaxi.* 24
Sectio II. *Idiotiſmi Poëtarum ex arte Rhetorica.* 28
§. I. *Loci Rhetorices, è quibus naſcuntur Idiotiſmi Poëtarum.* 28
§. II. *Tropi & Figuræ Rhetorices, è quibus naſcuntur Idiotiſmi Poëtarum.* 36

CAPUT V.

De Epithetorum delectu. 40

CAPUT VI.

De arte adhibendi Epitheta. 43
Præceptum I. *Epithetum perſonæ conveniens, tribuatur hujus perſonæ affectui, ſigno, inſtrumento, actioni.* 45. & 46
Præceptum II. *Epithetum effectûs proprium, tribuatur cauſæ* 46
Præceptum III. *Epithetum cauſæ proprium, tribuatur effectui.* 47
Præceptum IV. *Epithetum totius Integralis proprium, tribuatur parti integrali.* 47
Præceptum V. *Epithetum partis integralis proprium, tribuatur toti Integrali.* 48
Præceptum VI. *Epithetum rei contentæ proprium, tribuatur rei continenti* 49
Præceptum VII. *Epithetum rei ſenſu carentis & inanimæ proprium, tribuatur rei animatæ & ſenſu præditæ.* 50
Præceptum VIII. *Epithetum rei animatæ conveniens, tribuatur rei inanimæ.* 50
Præceptum IX. *Epithetum rei cuipiam conveniens tribuatur Subſtantivo metaphorico vel metonymico, quo pro vero rei nomine uſurpatur* 51
Præceptum X. *Epithetum ſive negans, ſive affirmans, comitem habeat interdum particulam negativam* 52
Præceptum XI. *Epithetum comparativum pro poſitivo uſurpetur, & negantem particulam interdum comitem habeat.* 54
Pr. XII. *Futura participiorum uſurpentur pro Epithetis.* 55

Pr. XIII-

INDEX.

Præceptum XIII. *Epithetorum vice uſurpentur nomina Patronymica.* 56
Præceptum XIV. *Pro Epitheto adhibeatur Appoſitum è figurata ſyntaxi* 59
Præceptum XV. *In uſum vocentur ſelecta quædam ex elegantioribus Poëtis Epitheta.* 60
Pr. XVI. *Quærantur Epitheta, quæ rei propoſitæ argumento, quàm optimè fieri poteſt, conveniant.* 62

CAPUT VII.

De mutatione vocum in ſtructura carminis. 63
Sectio I. *De mutatione Adjectivi.* 63
Sectio II. *De mutatione Subſtantivi.* 66
Sectio III. *De mutatione Caſuum.* 79
Sectio IV. *De mutatione Numerorum.* 80
S. V. *De mutatione Verborum, Modorum & temporum.* 82
Sectio VI. *De mutatione Adverbii* 84
Sectio VII *De mutatione Conjunctionis.* 85
S. VIII. *De mutatione Ordinis & Compoſitionis vocum.* 87

CAPUT VIII.

De mutatione Sententiæ. 88
Sectio I. *De mutatione ſententiæ per unius aut paucarum vocum acceſſionem.* 88
Sectio II. *De mutatione Sententiæ per longiorem amplificationem.* 93
§. I. *De poëtica partium enumeratione.* 93
EXEMPLA AMPLIFICATIONIS POETICÆ per enumerationem.
Exemplum I. *Cujus argumentum eſt illud:* Virtutes in tuo vultu elucent. 94
Exemplum II. *Cujus argumentum eſt illud ex Virgilio:* Omnia mala inferorum limen obſident. 94
Exemplum III. *Cujus argumentum eſt illud ex Ovidio:* Omnia verno tempore amœna ſunt 94
Exempl. IV. *Cujus argumentum eſt illud Ovidii lib 2. Triſt.* Cur non mihi alia propoſui ſcribendi argumenta? 95
Exemplum V. *Cujus argumentum eſt illud ex Statio:* Quo jam abiit illa puerilis formæ venuſtas? Quo illæ pueri blandientis illecebræ? 96

§. II. *De Poëtica deſcriptione Adjunctorum ſeu rerum per adjuncta.* 97

EXEMPLA AMPLIFICATIONIS POETICÆ
per deſcriptionem.

Deſcriptio pathetica ex Ovidio, in hoc argumentum.
Narciſſus ſuæ formæ inani ſpecie deceptus. 98
Deſcriptio varia ex Ovidio, in hoc argumentum.
Quatuor mundi ætates. 100
Deſcriptio nautica ex Virgil. in hoc argumentum.
Tempeſtas & naufragium. 102
Deſcriptio nautica ex Ovid. in hoc argumentum.
Tempeſtas & naufragium. 103
Deſcriptio bellica ex P. Perigaut, S. J. in hoc argumentum.
Veſontionis & Dolæ expugnatio. 106
Deſcriptio bellica ex eodem, in hoc argumentum.
Trajectum ad Moſam expugnatum. 111
Deſcriptio bellica ex Lucano in hoc argumentum.
Maſſilia à Cæſarianis, ipſoque Cæſare obſeſſa. 118
Deſcriptio bellica ex Virgilio, in hoc argumentum.
Novæ Trojæ oppugnatio. 130
Deſcriptio bellica ex P. Perigaut S. J. in hoc argumentum.
Polonorum de Turcis victoria. 141
Deſcriptio bellica ex P. de la Rué S. J. in hoc argumentum.
Rhenus ab equeſtribus Gallorum Copiis ad Tholuſium pagum trajectus. 154
Deſcriptio bellica *ex eodem, in hoc argumentum.*
Ludovici XIV. Gallorum Regis proluſiones bellicæ. 157
Deſcriptio bellica ex P. Charonnier S. J. in hoc argumentum.
Martius Gallorum ad bellum Batavicum apparatus, & Batavorum conſternatio. 160
Deſcriptio bellica ex P. Rapin. S. J. in hoc argumentum.
Armorum trophæum. 162
Deſcriptio amœna ex P. Mambrun S. J. in hoc argumentum.
Horti Circæi. 167
Deſcriptio amœna ex P. de Buſſieres S. J. in hoc argumentum.
Additum hortis Circæis ſupplementum. 175
Deſcriptio amœna Æneæ ſtatua, quæ in hortis Burgheſiis Romæ viſitur. Ex Principe Fürſtenbergio, Monaſterienſi Epiſcopo. 180

In-

Inſigniora Romæ tum veteris, tum novæ monumenta. 181
Deſcriptio amœna ex Rutgero Torkio, in hoc argumentum.
Seceſsus Tiburtini amœnitas. 188
Deſcriptio amœna ex Statio, in hoc argumentum.
Manlii Vopiſci Villa Tiburtina. 192
Deſcriptio hortenſis ex P. Commirio S. J. in hoc argumentum.
Heliotrepium. 196
Deſcriptio amœna ex P. Alberto d' Augieres S. J. in hoc argumentum.
Amphitheatrum Nemauſenſe, & ludi in eo exhibiti. 198
Deſcriptio amœna ex Virgilio, in hoc argumentum.
Ludrica certamina Æneæ juſſu ad tumulum Anchiſis exhibita. 202
Deſcriptio amœna ex P. Mambrun, in hoc argumentum.
Decurſionis annularis certamen equeſtre. 216
Deſcriptio amœna ex P. Mauro Minorità, in hoc argumentum.
Certamen Venaticum. 219
Deſcriptio amœna ex P. Millæo, S. J. in hoc argumentum.
Certamen coturnicium. 224
Deſcriptio amœna ex P. Frizon, S. J. in hoc argumentum.
Ludus tudicularis. 226
Deſcriptio amœna ex Hieronymo Vidâ, in hoc argumentum.
Scacchiorum ludus. 228
Deſcriptio amœna ex Abbate Flechier, in hoc argumentum.
Circus Regius 233
Deſcriptio funebris ex Santolio Victorino, in hoc argumentum.
Coſſarti tumulus. 244
Deſcriptio Allegorica, in hoc argumentum.
Sol & rana. 248
Deſcriptio Iconica perſonæ veræ, ex P. Lucâ S. J. in hoc argumentum.
Lamonius Parienſis Senatûs Princeps. 250
Deſcriptio Iconica perſonæ fictæ, ex Virgilio, in hoc argumentum.
Fama. 251
Deſcriptio ſacra ex Sannazario, in hoc argumentum.

Chriſtus naſcens. 253
Deſcriptio ſacra ex P. Milliæo, S. J. in hoc argumentum.
Chriſtus flagellis cæſus, ſpinis coronatus, populo oſtenſus. 256
Deſcriptio ſacra ex P. Janino, S. J. in hoc argumentum.
Chriſti miracula. 258
Deſcriptio ſacra ex P. Chevalier, S. J. in hoc argumentum.
Deiparæ Virginis in cœlum evectæ triumphus. 260
§. III. *De Amplificatione per comparationes & ſimilitudines.* 264
§. IV. *De Amplificatione per congeriem Sententiarum* 264
Sectio III. *De mutatione Sententiæ per detractionem.* 265

CAPUT IX.

De Poëtica Vocum & Phraſeωn Elegantia. 266
Sectio I. *De Poëticarum Vocum Elegantia.* 267
Sectio II. *De Poetica Sententiæ Elegantia.* 274
Sectio III. *De Amplificationis Poëticæ Elegantia.* 276

CAPUT X.

De Imitatione. 279

ARTIS METRICÆ

CAPUT I.

De Carminum pedibus ſeu menſuris.

PEdes vocantur menſuræ illæ, quibus certum cuique carmini ſpatium deſcribitur, intra quod porrigere ſeſe & explicare poteſt; *Pedes* (inquam) vocantur, quod iis veluti pedibus carmen incedere, & per deſcriptum ſibi ſpatium progredi videatur. Ingens proponi ſolet à Grammaticis hujusmodi *Pedum* numerus. Ego verò illos duntaxat recenſere ſtatui, quorum in tradendâ Artis hujus Metricæ diſciplinâ, neceſſarius occurret uſus. Alios, tanquam inutiles, & caſſo labore tyronibus exercendis potiùs, quam condendis carminibus idoneos, planè rejiciam.

Pedes διςύλλαβοι	Pedes τριςύλλαβοι
Spondæus - -	Dactylus - ∪∪
Jambus ∪ -	Anapæſtus ∪∪ -
Pyrrichius ∪∪	Tribrachys ∪∪∪
Trochæus - ∪	Moloſſus - - -

Lineola - ſyllabas longas, character ∪ breves deſignat.

OBSERVATIO.

Antequàm ad explicandos ſingulorum verſuum proprios pedes nos conferamus, duo ſe hîc mihi offerunt, quorum tyrones admonitos velim. Primum eſt, cujus-

cunque verſus ultimam ſyllabam poſſe ad arbitrium Poëtæ longam eſſe vel brevem. Ex quo fit, ut in fine *Hexametri* ſæpe pro *Spondæo Trochæus* occurrat; In fine Pentametri poſtrema cæſura, quæ ſæpius produci debet, non raro tamen corripiatur; In fine Jambici carminis, ubi *Jambum* ſtatui debere docebimus, ſæpe illam *Jambi* ſedem *Pyrrichius* occupet, & ſic de aliis. Alterum eſt, Cæſuram, quæ longa eſſe debet in medio carmine, nonnunquam tamen apud magnos Poëtas brevem inveniri; quod ut illis aliquando licuerit, tyronibus certè minimè videtur eſſe permittendum. Porro Cæſura eſt ſyllaba in aliqua voce poſt pedem relicta. Ut in hac voce cōntŭlĕrant, poſt Dactylum ſupereſt ſyllaba, quæ Cæſura dicitur.

CAPUT II.

De variis Carminum Generibus.

SECTIO I.

Carmen Hexametrum.

CArmen Hexametrum conſtat ſex pedibus, quorum quatuor primi ſunt *Dactyli* vel *Spondæi* indifferenter; quintus ſemper *Dactylus*; ſextus ſemper *Spondæus*, v. g.

Īnquĭnăt ēgrĕgĭōs ădiunctă sŭpērbĭă mōrēs. Claud.
Dactyl. Dactyl. Spond. Dactyl. Dactyl. Spond.
Crēſcĭt ămōr nūmmī, quāntūm īpsă pĕcūnĭă crēſcĭt. Juvenal.
Dactyl. Spond. Spond. (Eliſio) Dactyl. Dactyl. Troch.

Aliquando ad rem vel magnam vel lentam exprimendam ipſo pedum & vocum ſono in quintâ ſede pro *Dactylo* ponitur *Spondæus*; & carmina illa vocantur *Spondaica* v. g.

Cārā̆ Dĕūm sŏbŏlēs māgnūm Jŏvĭs īncrēmēntūm.
Dactyl. Dactyl. Spond. Dactyl. Spond. Troch.
Hiſpānī īn tāntō dīſcrīmĭne cōnsūltābānt.
Spond. Spond. Spond. Dactyl. Spond. Spond.

Aliquando pro *Spondæo* vel *Dactylo Anapæſtus* aut geminus *Pyrrichius* in primâ ſede ſtatuitur. Sed hoc emeritis duntaxat Poëtis, & rarò, atque in longiori tantùm opere uſurpare licet. v. g.

Flŭvĭōrūm Rēx Erīdănūs cāmpōsquĕ pĕr ōmnēs &c. Virgil.
Anap. Spond. Dactyl. Spond. Dactyl. Spond.
Părĭĕtĭbūsquĕ prĕmūnt arctīs, ēt quātŭŏr āddūnt, &c. Virgil.
Pyrrich. Pyrrich. Dactyl. Spond. Spond. Dactyl. Spond.

SECTIO II.

Carmen Pentametrum.

CArmen Pentametrum conſtat quatuor pedibus & duplici cæſurâ; nempe duobus prioribus *Dactylis* aut Spondæis indifferenter, ac deinde cæſurâ longâ: poſtea duobus poſterioribus *Dactylis* cum aliâ cæſurâ item longâ. v. g.

Sæpĕ sŭō vīctōr lēnĭs ĭn hōſtĕ fŭĭt. Ovid.
Dactyl. Spond. Cæſ. Dactyl. Dactyl. Cæſ.
Rēs ēſt sōllĭcĭtī plēnă tĭmōrĭs ămŏr. Ovid.
Spond. Dactyl. Cæſ. Dactyl. Dactyl. Cæſ.

SECTIO III.

Carmen Sapphicum, & Adonicum.

CArmen Sapphicum conſtat quinque pedibus, quorum primus eſt *Trochæus*; ſecundus *Spondæus*; tertius *Dactylus*; quartus & quintus *Trochæi*. Poſt tres autem verſus Sapphicos adhibetur Adonicus, qui duo-

bus conſtat pedibus, primo *Dactylo*, altero *Spondæo.* v. g.

(Aūrĕām quīsquīs mĕdĭōcrĭtātĕm
Sapphica (Dīlĭgīt, tūtūs cărĕt ōbsŏlētī
Carmina (Sōrdĭbūs tēctī, cărĕt īnvīdēndā
Carmen Adonicum Sōbrĭūs āulā, *Horat. Od.* 10. *L.* 2.

(Lātĭūs rēgnēs, ăvĭdūm dŏmāndō
Sapphica (Spīrĭtūm, quām sī Lĭbyām rĕmōtīs
Carmina (Gādĭbūs jūngās, ĕt ŭtērquĕ Pœnŭs
Carmen Adonicum.. Sērvĭăt ūnī. *Horat. Od.* 2. *Lib.* 2.

SECTIO IV.

Carmen Aſclepiadeum, Glyconicum, & Pherecratium.

Carmen Aſclepiadeum conſtat quatuor pedibus cum cæſurâ longâ, id eſt, primo *Spondæo*, ſecundo *Dactylo*, ac deinde cæſurâ longâ: poſtea duobus *Dactylis.* v. g.

Lūctāntēm Icărĭīs flūctĭbūs Afrĭcūm
Mērcātōr mĕtŭēns, ōtĭūm ĕt ōppĭdī
Lāudāt rūră sŭī: mōx rĕfĭcīt rătēs
Quāſsās, īndŏcĭlīs pāupĕrĭēm pătī. *Horat. Od.* 1. *L.* 1.

Carmen Glyconicum conſtat tribus pedibus, *Spondæo*, & aliquando, ſed rariſſimè *Trochæo* & duobus *Dactylis*, v. g.

Mēcœnās Equĭtūm dĕcŭs, &c. *Horat.*
Crēſcūnt vēllĕră pāſcŭīs. *Horat.*

Carmen Pherecratium conſtat tribus pedibus, primo *Spondæo*, ſecundo *Dactylo*, tertio *Spondæo*, v. g.

Vērnō ſplēndĭdă cūltū
Hōrtōs Flōră rĕvīsĭt.

Aſclepiadeo carmini jungitur Glyconicum tribus modis.

1. Ita ut ſingulis Aſclepiadeis adjungatur unum Glyconicum ducto à Glyconicis. v. g.

Glyco-

Glyconio. Vĭrtūtem īncŏlŭmem ōdĭmŭs.
Aſclep. Sūblātam ēx ŏcŭlīs quærĭmŭs īnvĭdī.
Glyconic. Quĭd trīſtēs quĕrĭmōnĭæ.
Aſclep. Sī nōn sūpplĭcĭō cūlpă rĕcīdĭtŭr?
Glyconic. Quĭd lēgēs sĭnĕ mōrĭbŭs.
Aſclep. Vānæ prōfĭcĭūnt? &c. *Hor. Od.* 24. *lib.* 3.

2. Ita ut tribus Aſclepiadeis quartum adjungatur Glyconicum v. g.

Quāntō plūră sĭbī quīsquĕ nĕgāvĕrĭt,
A Dīīs plūră fĕrēt: nīl cŭpĭēntĭŭm
Nūdŭs cāſtră pĕtŏ; ĕt trānsfŭgă dīvĭtŭm
Pārtēs līnquĕrĕ gēſtĭŏ. *Horat. Od.* 16. *l.* 3.

3. Ita ut poſt geminum Aſclepiadeum, & tertium Pherecratium, quartum Glyconicum accedat, v. g.

Aſclep. -- O Fōns Blāndŭsĭæ ſplēndĭdĭŏr vĭtrō.
Aſclep. -- Dūlcī dīgnĕ mĕrō, nōn sĭnĕ flōrĭbŭs.
Pherecrat. -- Crās dōnābĕrĭs hœdō.
Glyconic. -- Cuī frōns tūrgĭdă cōrnĭbŭs.
Aſclep. -- Tē flāgrāntĭs ătrōx hōră cănīcŭlæ
Aſclep. -- Nēſcīt tāngĕrĕ: tū frīgŭs ămābĭlĕ
Pherecrat. -- Fēſsĭs vōmĕrĕ taurīs
Glyconic. -- Præbēs, ĕt pĕcŏrī văgō.

SECTIO V.

Carmen Phaleucium ſive Hendecaſyllabum.

CArmen Phaleucium conſtat quinque pedibus. Primus eſt *Spondæus:* ſecundus *Dactylus*, tertius, quartus & quintus *Trochæi*. Exemplum ſit hoc Martialis Epigramma ad Aulum de quodam Phryge, potatore ſtrenuo; quia altero oculo luſcus, lippus altero erat.

Pōtō nōbĭlĭs Aulĕ lūmĭne ūnō
Lūſcŭs Phryx ĕrăt: āltĕrōquĕ līppŭs.
Huīc dīxīt mĕdĭcŭs, bĭbās căvētō
Vīnŭm: sī bĭbĕrĭs, nĭhĭl vĭdēbĭs.
Rīdēns Phryx, ŏcŭlō, vălēbĭs, īnquĭt:
Mīſcērī sĭbĭ prōtĭnŭs dĕūncēs

 Sed

Sĕd crēbrŏs jŭbĕt. Exĭtŭm rĕquīrĭs?
Vīnŭm Phryx, ŏcŭlŭs bĭbĭt venēnŭm.

Iſtius generis carmina Hendecaſyllaba dicuntur, id eſt, carmina undecim ſyllabarum, quia conſtant undecim ſyllabis.

SECTIO VI.

Carmen Alcaicum.

CArmen Alcaicum, Poëtis Lyricis familiariſſimum, in ſingulis ſtrophis quatuor verſus complectitur, Sapphici inſtar.

Duo primi verſus quatuor habent pedes & cæſuram unam. Nimirum primus eſt *Spondæus*, & aliquando, ſed rariſſime, *Jambus*, ſecundus eſt *Jambus* cum cæſura; tertius & quartus ſunt *Dactyli*.

Tertius verſus conſtat pedibus quatuor, & unâ cæſurâ. Primus eſt *Spondæus*, rariſſimè verò & per licentiam ſummis Poëtis vix concedendam *Jambus*, ſecundus *Jambus* cum cæſurâ, tertius & quartus *Trochæi.*

Quartus verſus quatuor pedes habet; primum & ſecundum *Dactylos*; tertium & quartum *Trochæos*, v. g.

Dāmnōsă quĭd nōn īmmĭnŭīt dĭēs?
Aētās pārēntŭm pējŏr ăvĭs, tŭlĭt
Nōs nēquĭōrēs, mōx dătūrōs
Prōgĕnĭēm vĭtĭōsĭōrĕm, Horat. Od. 6. L. 3.
Eheū fūgācēs Pōſthŭmĕ, Pōſthŭmĕ,
Lābūntŭr ānnī; nēc pĭĕtās mŏrām
Rūgīs ĕt īnſtāntī sĕnēctæ
Affērĕt, īndŏmĭtæquĕ mōrtī. Hor. Od. 14. L. 2.

SECTIO VII.

Carmen Jambicum.

CArmen Jambicum elegantiſſimum duplex eſt, Dimetrum, quod quatuor conſtat pedibus, & Trimetrum,

metrum, quod ſex complectitur. Dimetri pedes ſunt vel omnes *Jambi*, hoc modo;

v-	v-	v-	v-
1.	2.	3.	4.

Vel in locum primi *Jambi* ſuccedere poteſt *Spondæus*, aut *Anapæſtus*, aut *Dactylus*, ſicut *Jambi* ſecundi loco poteſt eſſe *Tribrachys*; & loco *Jambi* tertii eſſe poteſt *Spondæus* aut *Dactylus*, rariſſimè *Tribrachys*, hoc modo:

-vv vv- - - v-	vvv v-	vvv *rariſſimè* -vv - - v-	v-.
1.	2.	3.	4.

Trimetri quatuor primi pedes iidem ſunt, qui in Dimetro, niſi quod loco *Jambi* quarti, admittere poteſt Tribrachyn. His vero quatuor primis pedibus alios duos adjungit, quorum quintus eſt vel *Spondæus* vel *Anapæſtus* vel (ſed rarius) *Jambus*; ſextus autem ſemper *Jambus*, & nunquam aut perquam rariſſimè *Tribrachis*. En Schema pedum integri Trimetri:

vv- -vv - - v-	vvv v-	vvv *rariſſimè* -vv. - - v-	vvv v-	v- *rarò* vv - -	vvv *rariſſimè* v-
1.	2.	3.	4.	5.	6.

Exemplum Jambici Dimetri.

Sŏlūtŭs ōmnī fœnŏrĕ, &c.
Fŏrtūnă nōn mūtāt gĕnŭs, &c.
Mālvæ sălūbrēs cōrpŏrī, &c.
Ināſsit æſtŭōsĭŭs &c. Horat.
Aſt ĕgŏ vīcīſsīm rīsĕrō &c. Horat.

Exemplum Jambici Trimetri.

Nōn ălĭă măgĭs ēſt lībĕră, ĕt vĭtĭō cărēns
Rĭtŭsquĕ mĕlĭŭs vītă, quæ prīſcōs cŏlăt.
Quām qūæ rĕlīctīs mœnĭbūs ſylvās ămăt.
Nōn īllŭm ăvāræ mēntĭs īnflāmmăt fŭrŏr,
Quī sē dīcāvĭt mōntĭum īnsōntēm iŭgis:
Nōn aūră pŏpŭli, ēt vūlgŭs īnfīdūm bŏnīs,
Nōn pēſtĭlēns īnvĭdĭă, nōn frăgĭlĭs făvŏr.
Seneca in Hippolyto.

Lyrici, cum Jambicis utuntur carminibus in eo Poëmatum genere, quæ Epodos vocant, Dimetra & Trimetra alternatim miſcent, ita ut ſingulis Dimetris ſuum adjungatur Trimetrum, & initium Epodi ducatur à Trimetro, v. g.

Bĕātŭs īllĕ, quī prŏcŭl nĕgōtĭīs,
(ŭt prīſcă gēns mōrtālĭŭm)
Pătērnă rūră bōbŭs ēxĕrcēt sŭis,
Sŏlūtŭs ōmnī fœnŏrĕ.
Nōn ēxcĭtātŭr clāſsĭcō mīlēs trŭcī,
Nĕc hŏrrĕt īrātūm mărĕ,
Fŏrumquĕ vītăt, ēt sŭpērbă cīvĭŭm
Pŏtēntĭŏrŭm līmĭnă, &c. Hor. Lib. Exod. *Ode II.*

SECTIO VIII.

Carmen Scazon.

SCazon totidem & eosdem admittit pedes, quos Jambicum carmen Trimetrum, niſi quod in quintâ ſede ſemper habet *Jambum*, in ſextâ ſemper *Spondæum*. Exemplum

emplum ſint primi verſus, quos Perſius, inſtar prologi, ſuis præmiſit Satyris.

Nēc fōntĕ lābră prōlŭī căbāllīnō,
Nĕc īn bĭcĭpĭtī sōmnĭāſsĕ Pārnāſſō
Mĕmĭnī, ūt rĕpēntĕ sīc Pŏētă prōdīrĕm.
Hĕlĭcōnĭdasquĕ, pāllĭdāmquĕ Pīrēnēn
Illīs rĕlīnquŏ, quōrum īmāgĭnes lāmbūnt.
Hĕdĕræ sĕquācēs; īpsĕ sĕmī pāgānŭs
Ad săcră vātūm cārmĕn āffĕrō nŏſtrūm, &c.

SECTIO IX.

Carmen Anapæſticum.

Carmen Anapæſticum: in Tragœdiarum Choris familiare, duplex eſt; unum Simplex, quod duos habet pedes, alterum Compoſitum, quod habet quatuor. Utrumque in omnibus pedibus admittit *Spondæum* vel *Anapæſtum*. In primo etiam utriusque, & in tertio Compoſiti poteſt eſſe *Dactylus*, ſed eâ conditione, ut *Dactylum* illum ſtatim *Spondæus* excipiat, v. g.

Aūdāx nĭmĭūm quī frĕtă prīmŭs
Rătĕ tām frăgĭlī pērfĭdă rūpĭt,
Tērrāsque ſŭās pōſt tērgă vĭdēns,
Anĭmām lĕvĭbŭs crēdĭdĭt aūrīs.
Dŭbĭōquĕ sĕcāns æquŏră cūrsū,
Pŏtŭīt tĕnŭī fīdĕrĕ līgnō!
Īntĕr vītæ mōrtīsquĕ vĭās.
Nĭmĭūm grăcĭlī līmĭtĕ dŏctū. *Seneca in* 2. *Choro Medeæ.*

SECTIO X.

Carmen Anacreonticum.

Carmen Anacreonticum tres habet pedes cum cæſurâ. Primus pes eſt *Spondæus*, vel *Anapæſtus*, vel *Jambus*; ſecundus & tertius *Jambi* tantùm, tum verſus cæſurâ clauditur. In exemplum affero verſus aliquos è

Digitized by Google

quarto Medeæ Choro; ubi Seneca impotentem Medeæ, filiorum cædem meditantis, furorem deſcribit.

Quōnām crŭēntă Mœnăs,
Præcĕps ămōre ſævō,
Răpĭtŭr? Quŏd īmpŏtēntī
Făcĭnŭs părăt fŭrōrĕ?
Vūltŭs cĭtātŭs īrā
Rĭgĕt, ĕt căpŭt fĕrōcī
Quătĭēns sŭpērbă mōtū,
Rēgī mĭnātŭr ūltrō, &c.

SECTIO XI.

Alia Carminum Genera.

ALia ſunt multa genera carminum, quæ locum hic habere potuiſſent; quæ tamen, ne ſingulatim proſequerer, perſuaſit parum frequens eorum uſus. Nimirum ea tantùm explicare volui, quæ in probatiſſimis Authoribus ſæpius occurrunt; & quorum potiſſimum ſtudium in ſcholis juventuti proponitur: Quod ſi quis illorum etiam, quæ omiſi, diſcendorum ſit cupidus; facilè per ſe ipſe id aſſequi poterit in legendis Authorum libris, qui hujusmodi carmina ſuis operibus intexuerunt. Ne tamen rem illam omnino intactam dimittam, aliquot multiplicis hujus generis verſuum exempla propono.

EXEMPLUM PRIMUM.

Omnia, præter vitam hominis, poſt interitum reparantur.

Frigora miteſcunt zephyris, Ver præterit, Æſtas
Interitura ſimul,
Pomifer Autumnus fruges effuderit, & mox
Bruma recurrit iners.
Damna tamen celeres reparant cæleſtia Lunæ;
Nos ubi decidimus.
Quo pius Æneas, quò dives Tullus & Ancus,
Pulvis & umbra ſumus.

Horat. Ode 7. lib. 4. Carm.

EXEM-

EXEMPLUM SECUNDUM.

De Vino.

ALbus ut obſcuro deterget nubila Cœlo
Sæpe Notus, neque parturit imbres
Perpetuos, ſi tu ſapiens finire memento
Triſtitiam, vitæque labores
Molli, Plance, mero; ſeu te fulgentia ſignis
Caſtra tenent, ſeu denſa tenebit
Tiburis umbra tui. Teucer Salamina, patremque
Cum fugeret, tamen uda Lyæo,
Tempora populeâ fertur vinxiſſe coronâ,
Sic triſtes affatus amicos, &c.

Horat. Ode 7. Lib. 1. Carmin.

EXEMPLUM TERTIUM.

Exprobratio, paucis mutatis verbis ex Horatio deſumpta.

MUriſibus Tyriis iteratæ vellera lanæ
Cui properabantur? tibi nempe:
Ne foret æquales inter conviva, magis quem
Diligeret genitrix ſua, quam te
Et modò tu filii matrem fugis, ut ſolet acres
Agna Lupos, capreæque leones.

EXEMPLUM QUARTUM.

Hortatio ad hilaritatem.

HOrrida tempeſtas cœlum contraxit; & imbres
Nivesque deducunt Jovem; Nunc mare, nunc ſylvæ
Threicio Aquilone ſonant, Rapiamus Amici
Occaſionem de die: dùmque virent genua,
Et decet, obducta ſolvatur fronte ſenectus.
Tu vina, Torquato, move, conſule preſſa meo &c.

Horat. Epod. 13.

EXEMPLUM QUINTUM.

De morte.

PAllida mors æquo pulſat pede pauperum tabernas,
Regnumque turres, ô beate Sexti.
Vitæ ſumma brevis, ſpem nos vetat incboare longam.
Jam te premet nox, fabulæque Manes, &c.
Horat. Oda 4. lib. 1. Carmin.

EXEMPLUM SEXTUM.

In Lydiam, Sybarin amoribus ſuis irretitum miſere perdentem.

LYdia dic, per omnes
Te Deos oro, Sybarin cur properas amando
Perdere? Cur apricum
Oderit campum, patiens pulveris atque ſolis?
Cur neque militaris
Inter æquales equitet, Gallica nec Lupatis
Temperet ora frænis? &c.
Horat. Ode 8. lib. 1. Carmin.

EXEMPLUM SEPTIMUM.

De vite & vino.

NUllum, Vare, ſacrâ vitæ prius ſeveris arborem.
Circa mite ſolum Tyburis, & mœnia Catili
Siccis omnia nam dura Deus propoſuit, neque
Mordaces aliter diffugiunt ſollicitudines.
Quis poſt vina gravem militiam, aut pauperiem incre-
pat, &c.
Horat. Ode 18. lib. I. Carminum.

EXEMPLUM OCTAVUM.

De Hebro Adoleſcente.

EQues ipſo melior Bellerophonte,
Neque pugno, neque ſegni pede victus,
Simul unctos Tiberinis humeros lavit in undis;
Catus idem per apertum fugientes.

Agi-

Agitato grege cervos jaculari, &
Celer alto latitantem fruticeto excipere aprum, &c.
Horat. Ode 12. lib. 3. Carmin.

Si plura vis carminum genera, adi Senecam in Oedipo, & hujus Tragœdiæ choros conſule, ubi ingentem diverſorum carminum copiam, mixtim & confuſe ſparſam, maximè vero in Actus ſecundi Choro invenies; qui verſus continet Hexametros, Trochaicos, Chorijambicos, Jambicos, Dactylicos, Sapphicos, Anapæſticos; puros & impuros, integros & mutilatos, & aliquot ſyllabis ſuperfluos.

SECTIO XII.

Varia ſuperiorum carminum nomenclatura, ejusque ratio.

*H*Exametro ita dicuntur, quòd ſex menſuris, id eſt, pedibus conſtent. *Pentametra* ſic vocantur, quod quinque menſuras ſeu pedes habent. Voces enim illæ ſunt Græcæ; & apud Græcos ἑξ ſignificat *ſex*, πέντε *quinque &* μέτρον *menſuram* ſeu pedem. Quia vero vox illa μέτρον uſurpatur etiam ab Ariſtotele pro *Carmine* ipſo: hinc fit, ut ars verſificandi, quam hic docemus, dicatur *Ars Metrica.*

Carmina *Hexametra* alio etiam nomine *Heroica* dicuntur, quia in Poëmate Epico ad celebrandas *Heroum* laudes adhibentur. Denique *Hexametra Pentametris* juncta *Elegiaca* vocantur, quia hoc genere carminum ſcribuntur Elegiæ.

Carmina *Sapphica à Sappho* puella Lesbia inventa, nomen inde traxerunt; ſicut *Phaleucia à Phaleuco; Alcaica* ab *Alcæo; Anacreontica* ab *Anacreonte; Aſclepiadéa* ab *Aſclepiade; Pherecratia* à *Pherecrate;* & forte etiam *Glyconicum* à quodam *Glycone* dicto; *Adonicum* ab *Adone*, Poëtis & inventoribus.

Carmen

Carmen *Jambicum* à *Jambis*, in eo genere carminum frequentiſſimis, nomen habuit.

Carmen Scazon eſt *Jambici Trimetri* genus, ſed *Jambici* (ut ajunt) *claudicantis*; quod, contra reliquorum Jambicorum leges, *Spondæum* in ſexta ſede pro *Jambo* habeat. Ab *Archilocho* Poëta inventum eſt, & ad acres Satyræ morsûs aptiſſimum ſemper eſt habitum. Dictum eſt autem Scazon, id eſt, *Claudicans*, à Græca voce σκάζω, Claudico, *Archilochium* ab *Archilocho* inventore.

CAPUT III.

De Poëticis verſuum numeris.

POſtquam tyrones unumquodque carminum Genus edocti ſunt, in id ſtatim incumbere debent, ut Poëticos ſingulorum carminum numeros, eorumque ſuavitatem diligenter obſervent, ut ſuavitatem illam numerorum crebro, repetendis elegantiorum Poëtarum verſibus, ore uſurpent, auribus excipiant, toto animo combibant, ac denique ſua (dum ſcribunt) carmina ad legitimam hujusmodi numerorum temperationem adducere omni ope ſtudeant. Quod, ut faciliori negotio conſequi poſſint, ea ſubjicio, quæ vitioſum reddunt ſtrictæ orationis numerum, deinde ea, quæ ſuavem, ac denique ea, quæ eruditum efficiunt.

SECTIO I.

De iis, quæ vitioſum reddunt ſtrictæ Orationis numerum.

VItioſus eſt ſtrictæ orationis numerus, cum duriore & ingrato ſono aures verberat. Hoc vero accidere poteſt vel vitio cæſuræ, vel vitio vocum, vel vitio eliſionis.

§. I.

§. I.

Durior ſtrictæ Orationis numerus vitio cæſuræ.

PRimò durius eſt carmen Hexametrum, quod cæſuris caret, ut iſtud Horatii:

Nec facundia deſeret hunc, nec lucidus ordo.

Secundò. Ingratum eſt auribus Hexametrum, quod unicam, & quidem poſt primum pedem, cæſuram habet, ut in hoc Perſii verſu:

Eſt aliquid, quò tendis, & in quo dirigis arcum.

Vel poſt tertium pedem, ut in hoc verſu Virgiliano:

Addam cerea pruna; & honos erit huic quoque pomo.

Tertiò, ingrata eſt cæſura poſt quartum pedem, ſive aliæ in eodem carmine præceſſerint, ſive nullæ. Ut in hoc verſu, in quo Virgilius quarto pedi cæſuram proximè ſubjunxit, & cæſuram illam brevem licenter produxit:

Ille latus niveum molli vultus hyacyntho.

IN PENTAMETRIS.

In Pentametro carmine vix cæſuræ vitio peccari poteſt; dum ipſa hujus carminis ratio geminam poſtulet, & in eo condendo ſuum quæque cæſura locum per ſeſe ac quaſi duce naturâ ſubeat.

IN SAPPHICIS.

Carmen Sapphicum, quod cæſuram habet nullam poſt ſecundum pedem, ſonat durius, ut iſtud Horatii:

Mercuri facunde nepos Atlantis.

IN PHALEUCIIS.

Seu Hendecaſyllabis.

Durius quoque ſonat carmen Hendecaſyllabum, cæſura carens poſt ſecundum pedem. Hujuſmodi ſunt hi duo Martialis verſus:

Toto

Toto notus in orbe Martialis,
Argutis Epigrammatum libellis.

IN ALCAICIS.

Idem accidit in Alcaico verſu cæſurâ carente poſt eundem illum ſecundum pedem; ut cum Horatius Mecænatem ægrotum ſic alloquitur:

Ah! te mea ſi partem animæ rapit
Maturior vis, &c.

IN ALIIS CARMINIBUS.

Haud ita facile accidit, ut in alia carmina cæſuræ vitium irrepat, & decurſu pedum aſperiori ſuavitas tollatur numerorum; Quapropter nihil offert ſe mihi, quod de iis præcipiendum eſſe videatur.

---

§. II.

Durior ſtrictæ Orationis numerus vitio ipſarum vocum.

DUrius eſt Carmen Hexametrum.

1. Si deſinat in vocem monoſyllabam, ut in hoc Horatii verſu;

Nam pro jucundis ampliſſima quæque dabunt Di.

& in iſto:

Nil ergo optabunt homines, ſi conſilium vis.

2. Si deſinat in vocem quadriſyllabam, ut hic Virgilii verſus:

*Suſtinet ac natæ Turnique canit * hymenæos.*

* cæſura brevis licenter producta.

3. Neque etiam ſat jucundò ſonat, ſi deſinat in vocem quinque ſyllabarum, v. g.

Ipſe ſibi primus laudem parit ingenioſi.

Crebriores monoſyllabæ duriorem reddunt verſum Hexametrum, ſi concurrant ejusdem ſoni conſonantes v. g.

Flecte

Flecte vias hâc, qua madidi ſunt tecta Lyæi.
Paſchaſius.

Pentametrum carmen malè deſinit in vocem triſyllabam, ut iſtud Propertii:

Sit licet & ferro durior & chalybe.

Et iſtud Tibulli:

Cultor odoratæ dives Arabs ſegetis.

Non ſatis etiam ſuaviter fluit, cum deſinit in vocem quadriſyllabam; ut videre eſt in hoc Propertii gemino verſu:

Maxima de nihilo naſcitur hiſtoria.
Solus Amor, morbi non amat artificem.

Neque cum deſinit in vocem quinque ſyllabarum, ut cum Ovidius ſcripſit:

Lis eſt cum formâ magna pudicitiæ.

Tolerari tamen poſſunt in fine Pentametri voces quatuor & quinque ſyllabarum, ſed triſyllabæ prorſus explodendæ ſunt, etſi à quibusdam magni nominis Poëtis fuerint aliquando uſurpatæ.

Carmen Hendecaſyllabum durius in vocem deſinit monoſyllabam, ut in hoc Paſchaſii Poëtæ Itali verſu:

Arnus nuper adit novus cliens me.

In carminibus Jambicis non benè clauditur Trimetrum voce quadriſyllaba, ſiquidem numeri ratio habeatur, ut videre licet in hoc verſu Horatii:

Beatus ille, qui procul negotiis, &c.

Nec voce triſyllabâ, ut in hoc Senecæ verſu:

Vos dominus odit, ſit nocens, non quæritur.

Si tamen finalem vocem triſyllabam præcedat eliſio, carmen non jucundè ſonat; v. g.

Quid terga vertis anime? Quid primo impetu
Deponis arma? &c. Seneca.

In omni genere carminum ingratus eſt auribus ſyllabarum ſimilium concurſus, maximè ſi crebrius accidat, v. g.

Si bona nat facili pulſa carina vado.
&
O Tite tute Tati, tibi tanta Tyranne tuliſti.

Denique, quidquid in diſpoſitione & ordine, uſuque

vocum, ſtrictæ orationis ſonum injucundum efficit, pro vitio habendum, & omnino fugiendum eſt in Poëſi.

---

§. III.

Durior ſtrictæ Orationis numerus vitio Eliſionis.

DE Eliſione quatuor occurrunt, quæ tyrones moneam :

1. Numerus Poëticus fit Eliſione durior, quando vox monoſyllaba initio verſûs eliditur, v. g.

Dum autem Trojanis olim fortuna favebat.

2. Crebiores Eliſiones Poëticum numerum vel omnino tollunt, ut in his verſibus :

Qualem commendes, etiam atque etiam inſpice, ne mox
Incutiant aliena tibi peccata pudorem. Horat.
O curve in terris animæ, cœleſtium inanes! Perſ.
Vive memor lethi, fugit hora, hoc quod loquor inde eſt. Perſ.

Vel duriorem reddunt, ut in hoc Perſii verſu :

O curas hominum! ô quantum eſt in rebus inane!

3. Unica ſæpe Eliſio duriorem Poëtici numeri ſonum efficit, ut in hoc Horatii verſu, in quo præter Eliſionem, eſt vitioſus geminæ literæ, T, concurſus ;

Si quis ad illa Deus ſubito te agat uſque recuſes.

Et in hoc Ovidii :

Non adeo eſt bene nunc, ut ſit mihi gloria curæ.

4. Duræ admodum ſunt Eliſiones, quibus vox aliqua dividitur inter Carmen Sapphicum & Adonicum, verbi gratia :

— — *vagus & ſiniſtra*
Labitur ripâ, Jove non probante,
Uxorius amnis. Horat.

Eliſiones, quæ de Poëtici numeri ſuavitate nihil detrahunt, non modo non ſunt vitioſæ ; ut etiam aliquid elegantiæ interdum habeant, ut in iſtis Manilii verſibus :

Naſcentes morimur, finiſque ab origine pendet, &c.
Exemplumque Dei quiſque eſt in imagine parvâ, &c.

Et

Et in iſtis Sannazarii, quibus Venetæ urbis laudes complexus eſt, & pro quibus magnum à Venetis aureorum numerum accepit.

Viderat Hadriacis Venetam Nuptunus in undis
Stare urbem, & toto ponere jura mari.
Nunc mihi Tarpejas quantumvis Jupiter arces
Objice, & illa tui mœnia Martis, ait.
Si pelago Tibrim præfers, urbem aſpice utramque,
Illam homines dices, hanc poſuiſſe Deos!

Et in iſtis Ovidii de Aſtronomis loquentis:

Admovere oculis diſtantia ſidera noſtris,
Sideraque ingenio ſuppoſuere ſuo.

Denique pronomina, maximè vero poſſeſſiva, participia aliæque voces plurimæ non ineleganter ultimam ſuam elidunt ſyllabam ante *es* & *eſt*, ſecundam & tertiam perſonam verbi ſubſtantivi *Sum*; ſive in medio, ſive in fine carminis; v. g.

Velle ſuum cuique eſt, nec voto vivitur uno. Preſ.
Ante meos oculos præſto eſt tua ſemper imago. Ovid.
Difficile eſt, fateor, ſed tendit in ardua virtus. Ovid.
Jam minus hic odio eſt, quam fuit ante locus. Ovid.
Quaſſa tamen noſtra eſt, non merſa nec obruta navis. Ovid.
Quæque tua eſt pietas in totum nomen Jüli. Ovid.
Proxima pars vitæ tranſilienda mea eſt. Ovid.
Num fletu ingemuit noſtro; aut miſeratus amantem eſt? Virgil.
Hæſit in amplexu, conſolatusque jacentem eſt. Ovid.
Vita data eſt utenda, data eſt ſine fænore nobis
Mutua; &c. Ovid.

SECTIO II.

De iis, quæ ſuavem reddunt ſtrictæ Orationis numerum.

NUlla certior ad conciliandam verſibus ſuavitatem illam præceptio tradi poteſt, quam aurium judicium. Quapropter illæ potiſſimum in eâ re ſunt à tyronibus

bus, dum ſcribunt, conſulendæ, tam diúque fingenda & refingenda ſunt carmina, donec illum adepta ſint numerum, qui auribus maximè probetur. Et ſanè quidem iis probabitur, ſi adhibendis ſuo loco cæſuris certæque pedum & vocum rationi, diligenter ſtudeat prima tyronum induſtria. Ecce, quæ in eam rem, dum Poëtas olim legerem, ſunt à me obſervata.

Primò, eò ſuavius decurrunt Hexametra, quò pluribus abundat cæſuris v. g.

Accipitrem metuens pennis trepidantibus ales. Ovid.
Vel quo pluribus abundant Dactylis v. g.

Arvă sĕquī, jăcŭlīsquĕ fŏrās ăgĭtārĕ sŏlēbāt.

Secundò, etſi unica ſit in Hexametro cæſura, numeroſè tamen & ſuaviter fluit, modò poſt ſecundum pedem cæſura collocetur. v. g.

Lūdĭt ĭn hūmānīs Dīvīnă pŏtēntĭă rēbŭs. *Ovid.*

Tertiò, numeroſè & ſuaviter cadunt Hexametra, in quibus alterni ſuccedunt Dactylis Spondæi. v. g.

Nēc tĭbĭ rēgnāndī vĕnĭāt tām dīră cŭpīdo.
Lucan.
Cārmĭnă quī quōndām ſtŭdĭō flōrēntĕ pĕrēgī.
Boëtius.

Quartò, non ſuaviter tantùm, ſed etiam magnificè incipiunt tum Hexametra, tùm Pentametra, à duabus vocibus, quarum prima ſit diſſyllaba, conſtans longâ & brevi, v. g. ūrĭt, sūrgĭt, ōmnĭs, īntĕr; altera tetraſyllaba conſtans primâ brevi & tribus poſtremis ſyllabis longis. v. g. ŏdōrātām, Jūdæō, ŏdōrātīs, ĭnhūmānōs.

Urĭt ŏdōrātām nocturna in lumina cedrum. *Virgil.*
Sūrgĭt Jūlæo juvenis cognomine dignus. *Ovid.*
ōmnĭs ŏdōrātīs ignibus ara calet. *Ovid.*
Inter ĭnhūmānōs noluit eſſe Getas. *Ovid.*

Quintò, ſuavius etiam & magnificentius inchoatur Hexametrum à tribus *Dactylis* & *Spondæo*; Vel à duobus *Dactylis*, & duobus *Spondæis*; Vel à duobus *Dactylis* & uno *Spondæo*, quem proximè ſequatur item *Dactylus*; vel à duobus *Spondæis* inter duos *Dactylos*. Vel à *Dactylo* & tribus *Spondæis*; vel à *Spondæo* & duobus *Dacty-*

Dactylis; vel denique à *Dactylo* inter duos *Spondæos*. v. g.

Bārbără Pyrămĭdūm ſīlĕăt miracula Memphis. *Martial.*

Rōſcĭdă mōbĭlĭbūs lāmbĕbānt gramina rivis. *N.*

Ah! pŏtĭūs pĕrĕam quam crīmĭnĕ vulnerer iſto. *Ov.*

Tūnc cædēs hŏmĭnūm gĕnĕrī, tūnc prælia natant. *Tib.*

Mĕ lĭcĕt ætātīs ădſtrīngānt brachia nodis. *Propert.*

Admīrāndă tĭbī lĕvĭum ſpĕctacula rerum. *Virgil.*

Obſcūrāmquĕ trăhī vēntō mīrabere nubem. *Virgil.*

Sextò. Suavius fluit carmen Pentametrum, ſi à duobus Dactylis; vel à Dactylo & Spondæo, vel à Spondæo & Dactylo inchoetur. v. g.

Nōmĕn ămīcĭtĭæ barbara corda movet.

Sī tămĕn ā mĕmŏri poſteritate legar.

Grātĭūs ēx īpſo fonte bibuntur aquæ.

Quæ vĕnĭt īndīgnē, pœna dolenda venit.

Intĕrdūm lăchrymæ pondera vocis habent,

Trānquīllās ĕtĭam naufragus horret aquas. *Ovid.*

Septimò in verſibus Lyricis nihil certum præcipi poteſt, ac proinde una eſſe debet regula; minimè fallax aurium judicum.

Octavò, ſuaviter ſonant Jambica Trimetra, quæ clauduntur voce diſſyllaba, uti ex adverſo injucunde ſonant, quæ voce clauduntur triſyllaba. v. g.

*Ad cujus * arma venit, & qui frigidum*
Seneca Tanain ora pandentem bibit.

Seneca: *Ad cujus defenſionem (Subaudi, Trojæ) venerunt Scythæ Tanais ripas accolentes, qua parte flumen illud ſeptem oſtiis in mare illabitur.

Vox tamen triſyllaba non male ſonat in fine verſus Jambici, & eliſio præcedat. v. g.

Caret ſepulchro Priamus, & flammâ indiget,
Ardente Troja. Seneca.

Nonò, eò magnificentior eſt & ſuavior Jambici carminis numerus, quo pluribus abundat cæſuris & Anapæſtis, in iis ſedibus, in quibus Anapæſtus admitti poteſt. v. g.

— — — *Non unquam tulit.*

Documenta Fors majora quàm fragili loco
Starent ſuperbi. Seneca.

Decimò, Eliſiones, quæ in aliis carminibus ſunt utplurimùm vitioſæ, Jambici majeſtatem non parum augent v. g.

*Exciſa ferro * eſt, Pergamum incubuit ſibi.*
Seneca * Subaud. *Troja.*

Undecimò, Auris reliqua docebit, quæ ad Jambici carminis numeros & dignitatem facere poſſunt.

SECTIO III.

De iis, quæ eruditum reddunt ſtrictæ Orationis numerum.

NUmerus verſuum, ſeu numeroſus verſuum ſonus eruditus dicitur, cum in iis rebus, quæ magis ſub ſenſum cadunt, mentem Poëtæ non tantùm verba, ſed ipſi quoque verborum numeroſè cadentium ſoni exprimunt. Quâ certe in re, ut in cæteris omnibus planè admirabilis & divinus extitit Poëta noſter Mantuanus:

Quid enim ad ſedati animi lenitatem exprimendam illo verſu lenius?

Olli ſedato reſpondit corde Latinus.

Quid ad trucem efferati animi ferociam ſignificandam illo hemiſtichio, crebro caninæ literæ concurſu aſpero, accommodatius?

— — —— *Fremit horridus ore cruento.*

Quid ad ſummam celeritatem imperandam illo verſu incitatius?

Ferte citi ferrum; date tela, ſcandite muros.

Quam egregiè equitantium hominum ſonum ac numeros hic verſus imitatur?

—— —— —— *It clamor & agmine facto,*
Quadrupedante putrem ſonitu quatit ungula campum.

Quam rectè hominum de currendi laude certantium, curruſque agentium in Circo, celeritatem ineundi curſus, metum admittendæ palmæ, alternas currentium vices verſus iſti ſuis numeris exprimunt!

—— *Cum*

—— —— —— Cum præcipiti certamine campum
Corripuére ruuntque effuſi carcere currus.
Dum ſpes arrectæ juvenum, exultantiaque haurit
Corda pavor pulſans: illi inſtant verbere torto:
Et proni dant lora; volat vi fervidus axis.
Jamque humiles, jamque elati ſublime videntur.
Aëra per vacuum ferri, atque aſſurgere in auras.

Quam præcipiti celeritate numerorum, ventorum ex antro ſuo prorumpentium impetum, hi verſus deſcribunt?

—— —— —— Ac venti velut agmine facto,
Quà data porta, ruunt.

Quis, Fabrorum maſſam ferri ſuper incude verſantium, eamque malleis numerosé cadentibus ſubigentium, non exiſtimet videre ſe motum, niſum & humeros, cum hos legit verſus:

Illi inter ſeſe multâ vi brachia tollunt
In numerum, verſantque tenaci forcipe maſſam.

Quis mactati & cadentis bovis, non impetum modo, ſed penè pondus, ipſumque adeo ſonum (ut ita dicam) non ſenſu percipiat, cum Virgilium audit dicentem?

Sternitur; exanimisque tremens procumbit humi bos.

Quis denique, ut hic finem imponam, & ne in numeros noſtra ſine numero & lege excurrat oratio; Quis (inquam) non admiretur decidentis grandinis ſtrepitum, æquè in hoc Virgiliano verſu ac ſupra tecta crepitantem?

Quam multa in tectis crepitans ſalit horrida grando.

Ecce, quæ de Poëticis verſuum numeris dicenda habui, quorum tamen modos & ſuavitatem & eruditam elegantiam, Poëtarum potius lectio, quàm Magiſtri vox & quæcunque præceptorum ſeries te docebit. Ad reliqua igitur, quæ initio mihi propoſueram, tradendæ *Artis Metricæ* præcepta ſtatim progrediamur, & Poëſeos Candidato Poëtarum informato numeris modum loquendi Poëtarum proprium, atque (ut ita dicam) Idiotismos Poëſeos, ſeu Dialectos Poëticas exponamus. Et ſanè magni refert à Diſciplinæ Poëticæ primis rudimentis edoceri ſtatim, in quo Poëtica dictio differat ab Oratoriâ, quæ utriusque ſit peculiaris ratio, quis cha-

racter? ut charactere illo imbuti, cum adhuc in re Poëtica novi & recentes ſumus, hanc experimento noſtro probemus Horatii ſententiam:

Quo ſemel eſt imbuta recens, ſervabit odorem
Teſta diu.

CAPUT IV.

De primis Poëticæ Locutionis Elementis.

SECTIO I.

IDIOTISMI POETARUM *ex Figuratâ Syntaxi.*

Figura Syntaxeos eſt nova loquendi ratio, à vulgari grammatico ſermone remota, quæ ratione aliqua vel authoritate nititur.

Undecim numerantur à Grammaticis Figuræ Syntaxeos, ſed quinque duntaxat, ad hujus, quam tradimus, perceptionem Artis, ſunt nobis cognitu neceſſariæ, nimirum Appoſitio, Enallage, Ellipſis, Synecdoche & Helleniſmus.

APPOSITIO ſeu Appoſitum eſt Figura, quâ plura Subſtantiva ad eandem rem pertinentia, in eodem caſu, & in eâdem oratione ſine ullâ Conjunctione ponuntur, ſubintelligendo Relativum *Qui, Quæ, Quod*; cum verbo Subſtantivo *Sum.* v. g.

Mitto tibi inſipidas, (a) *fabrorum prandia, beatas.*
Martial.

(*a*) id eſt, quæ ſunt fabrorum prandia.

Nos (*b*) *mortale genus, terris remoramur inertes,*
Conſtruimus luteas viliæ (c) *tecta domos.* Saut.

(*b*) Subaud. qui ſumus, (*c*) Subaud. quæ ſunt.

ENALLAGE eſt immutatio, quæ legitimæ conſtructionis regulas perturbat. Hujus autem Figuræ tot eſſe poſſunt genera, quot ſunt modi, quibus fieri poteſt hæc immutatio.

Vel

Vel enim Caſus mutatur, ut cum Virgilius dixit de fatalis Equi machinæ, in urbem Trojam, invectione: *Illa ſubit, mediæque minans illabitur urbi.*

Cùm juxta Syntaxeos regulas dicere debuiſſet: *in mediam urbem.*

—— —— —— *vix audior (d) ulli.* Ovid.

(d) pro, *ab ullo.*

Vel mutantur Tempora, v.g.

—— —— *Quos omnes undique Grajæ*
Circumerant acies, & ni mea cura reſiſtat,
Jam flamma tulerint, inimicus & hauſerit enſis. Virg.

Id eſt, quos Græci circumſtant, & quos, niſi mea cura reſiſteret, jam flammæ abſtuliſſent, &c. Hæc erant Veneris verba ad Æneam:

Ni faciat, maria ac terras, cœlumque profundum
Quippè ferant rapidi ſecum, &c. Virgil.

Id eſt, niſi id faceret, venti omnia, mare ſcilicet, terram, cœlumque ipſum ſecum impellerent, ac ſuis prope ſedibus dimoverent.

Fiunt etiam aliquando immutationes in Numeris, Perſonis, & modis: ſed hæ parum ad rem noſtram faciunt.

ELLIPSIS eſt, cum in oratione aliquid deeſt, quod ſubintelligitur, ut cum Virgilius dixit: *Genus unde Latinum*, ſubintelligendo, *ortum eſt.*

Inferretque Deos Latio, Genus unde Latinum.
Albanique Patres, atque altæ mœnia Romæ,

Pari ratione alibi ſcripſit:

Di meliora piis, erroremque hoſtibus illum.

Subintelligendo, *tribuunt* meliora piis, *injiciant* errorem illum hoſtibus.

Sed vos qui tandem (a)? quibus aut veniſtis ab oris?

(*a*) *id eſt*, *qui eſtis?* Idem Virgil.

Vade tibi frontem, libertatemque parentis?

Juvenal. Subauditur: *ſumis.*

Iſtæ ſunt Ellipſes verbi, quia in oratione deeſt, & ſubintelligitur verbum aliquod: aliæ ſunt Ellipſes Præpo-

 ſitionum

ſitionum, quibus nihil frequentius occurrit in Poëtis; præſertim in Quæſtionibus; *Ubi*, *Quo*, *Unde*.

In Quæſtione *Ubi*.

*Nulli certa domus; lucis * habitamus opacis.*

Virgil. * Subaud. *in*.

*Contendunt ludo, & * fulvâ luctantur arenâ.*

Virgil. * Subaud. *in*.

In quæſtione *Quò*.

*Devenere locos * lætos & amœna * vireta*
*Fortunatorum nemorum ſedesque * beatas.*

Virgil. * Subaud. *in*.

In Quæſtione *Unde*.

*Iri decus Cœli: quis te mihi * nubibus actam*
Detulit in terras; Virgil.

* Subaud. *è*.

SYNECDOCHE eſt figura Syntaxeos, quæ fit, quando Adjectivum aut Verbum conveniens cum Toto, regit partem Totius in Accuſativo. Poſſunt etiam in Ablativo eam regere: ſed hoc magis Hiſtoricorum atque Oratorum, quàm Poëtarum eſt proprium.

Synecdoche in Adjectivis nominibus.

Omnia Mercurio ſimilis, vocemque, colorèmque,
Et flavos crines & membra decora juventæ. Virgil.

Synecdoche, in Adjectivis Participiis neutris, & paſſivis.

—— —— —— *Trepidusque repentè refugit*
Attollentem iras, & cærula colla tumentem.
Virgil.

Subaud. *ſerpentem*.

—— —— —— *Scutis protecti corpora longis.* Virgil.

Synecdoche in verbis neutris & paſſivis.

Stare loco neſcit, micat auribus, & tremit artus,
Virgil.

Subaud. *equus generoſus.*

Nec magnis incœpto vultum ſermone movetur. Virgil.

HELLENISMUS eſt oratio, quæ in Latinâ phraſi Grææ conſtructionis ſervat leges. v. g.

Cum Nominativus aliquando pro Accuſativo ponitur, ut:

—— *Senſit*

—— —— —— *Senſit delapſus in hoſtes.* Virgil.
Pro : *ſe delapſum.*
Vel Genitivus pro Ablativo. v. g.
—— —— —— *Deſine mollium*
Tandem querelarum, &c. Horatius.
Pro, *à querelis.*
Deſinite ô tandem irarum, cœcique furoris.
Milliæus :
Mox ubi luſit ſatis abſtineto
Dixit irarum, calidæque rixæ. Horat.

Vel cum Adjectiva neutra ſubſtantivè uſurpantur, ac Subſtantivorum more, Genitivum poſt ſe regunt. v. g.
—— —— —— *Ferimur per opaca locorum.* Virgil.
Id eſt, *per opaca loca.*

Ita cum eodem Virgilio dicere poteris *ardua terrarum, anguſta viarum*, & alia multa, quæ apud Poëtas occurrunt.

Vel, cum eadem Adjectiva neutra in Accuſativo tum ſingulari, tum plurali ſumuntur adverbialiter. v. g.
—— —— *Si quando nocte Cometæ*
Sanguinei lugubrè rubent. Virgil.
Id eſt, *lugubrem in modum.*
Hæret inexpletum lachrymans ac talia fatur. Virgil.
Ut vidit fulgentem armis ac vana tumentem. Virgil.
Talibus Æneas ardentem, ac torva tuentem
Lenibat dictis. Virgil.
Vel cum Dativus pro Ablativo pugnandi & contendendi verbis jungitur, v. g.
—— *Placidone etiam pugnabit amori?* Virgil.
Pro, *cum amore.*
Montibus in noſtris ſolus tibi certet Amyntas. Virgil.
Luctantem, Icariis fluctibus Africum
Mercator metuens, &c. Horat.
Vel, cum Adjectiva, quæ regunt Gerundium in *di*, aut Gerundium in *dum*, cum Præpoſitione *Ad*; cum (inquam) Adjectiva illa juguntur Infinitivo v. g. cum Virgilius vitæ ruſticæ laudes ita proſequitur ?

At ſecura quies, & neſcia fallere vita;
Dives opum variarum, &c.

Pro

Pro, *neſcia fallendi.*
Audax omnia perpeti,
Gens humana ruit per vetitum nefas. Horat.
Pro, *audax ad omnia perpetienda,*
Malâ ducis avi domum
Quam multo repetet Græcia milite,
Conjurata tuas rumpere nuptias. Horat.

Id eſt, ô Pari, ſiniſtris auſpiciis Helenam abducis, quam armis repetet Græcia, *ad tuas rumpendas nuptias conjurata.*

SECTIO II.

IDIOTISMI POETARUM.

Ex arte Rhetorica.

POſtquam è Figurata Syntaxi ea explicui, quæ ad locutionis Poëticæ formam, & inſtituti noſtri rationem pertinent; pauca quædam ex artis Rhetoricæ tum Locis, tum Tropis, tum denique Figuris delibanda ſunt, quæ ad informandos proprio Parnaſſi ſtylo tyronum animos, eisque Poëticum (ut ita dicam) afflandum ſpiritum, neceſſaria videntur eſſe. A Rhetoricis Locis incipiam, tum ad Tropos Figurasque veniemus.

§. I.

Locis Rhetoricis, è quibus naſcuntur Idiotiſmi Poëtarum.

AD illos Rhetoricæ Locos quod attinet, eos duntaxat ſeligo, quos ad noſtrarum præceptionum uſum, totamque locutionis Poëticæ rationem, conferre aliquid poſſe exiſtimo. Sunt autem ii, *Genus* & *Forma;* ſeu *Species: Totum & Pars: Enumeratio Partium: Cauſa & Effectus: Adjuncta rei, ſeu Circumſtantiæ.*

Genus eſt quoddam Totum, plures continens Partes, communione quadam ſibi ſimiles, Specie tamen differentes, v. g. *Arbor* eſt veluti quoddam Totum; cujus Partes

Partes ſunt omnes Species arborum ; quas vox illa communis (Arbor) ſignificatione ſuâ complectitur; nimirum *Laurus*, *Palma*, *Oliva*, *Pyrus*, *Ceraſus*, *Pinus*, *Quercus*, *&c.* Idem dic de *Flore*, de *Colore*, de *Metallo*, de *Populo*, & de aliis omnibus vocibus genericis, quarum ſignificatum ad plura diverſa pertinet.

Forma ſeu *Species* eſt Pars Generi ſubjecta, vel (ſi mavis) Formæ aut Species ſunt eæ Partes omnes, quas diximus in Genere includi; ſeu, in illius vocis, quæ Genus eſt, ſignificatione contineri. Ita Species *Arboris* ſunt *Laurus*, *Palma*, *Pinus*, *Quercus*, *&c.* Species *Floris* ſunt *Roſa*, *Lilium*, *Viola*. *&c.* Species *Metalli* ſunt *Aurum*, *Argentum*, *Æs*, *&c.* Quædam quaſi Species Populorum ſunt *Galli*, *Itali*, *Germani*, *Angli*, *Hiſpani*, *&c.*

Ad hunc locum revocari poſſunt ſingularia ſub Genere vel Specie contenta, ſeu (quod idem eſt) contenta ſub nominibus quibusdam vel Genericis, vel Specificis, v. g. *Roma*, *Lutetia*, *Vienna*, *&c.* contentæ ſub nomine Generico Urbis. *Lugdunum*, *Maſſilia*, *Tholoſa*, &c. contentæ ſub nominibus Specificis Urbis Gallicæ. *Rhodanus*, *Danubius*, *Tanais*, *Nilus*, *Euphrates*, *&c.* contenti ſub nomine Generico Fluvii. *Tiberis*, *Padus*, *Arnus*, *&c.* contenti ſub nominibus Specificis Fluvii Italici. Idem dic de *Euro*, *Noto*, *Africo*, *Borea*, *Zephyro*, contentis ſub nomine Generico Venti; *De Rhodope*, *Caucaſo*, *Tauro*, *Aemo*, *Olympo*, *&c.* contentis ſub nomine Generico Montis. *De Mari Caſpio*, *Icario*, *Ægeo*, *&c.* contentis ſub nomine Generico Maris, & ſic de aliis.

Speciem pro Genere, Singularia item pro Specie, vel pro Genere, Poëtæ eleganter uſurpant; maximè in verſibus Lyricis, & in quibusvis aliorum carminum ſimilitudinibus, deſcriptionibus, &c. En varia hujus rei exempla.

Horatius nonam Libri Secundi Oden ad Valgium hac ſententia inchoat. *Non ſemper, nec è cœlo cadunt pluviæ, nec in mari ſæviunt procellæ, nec montes glacie rigent, nec arbores ventorum turbinibus agitantur, &c.*

Quam

Quam ſententiam Poëta, ut ad elegantiam metricæ artis & Lyrici verſus accommodet, pro quovis Mari uſurpat Mare Caſpium, pro quibusvis Montibus, Armenios; pro quibusvis Arboribus, Quercus & Ornos, pro quibusvis Quercetis, Gargani Apuliæ montis Querceta; pro quibusvis denique Ventorum turbinibus, Aquilones ſumit in hunc modum:

Non ſemper imbres nubibus hiſpidos
Manant in agros; nec mare Caſpium
Vexant inæquales procellæ
Usque; nec Armeniis in oris,
Amice Valgi, ſtat glacies iners
Menſes per omnes; aut Aquilonibus
Querceta Gargani laborant,
Et foliis viduantur Orni.

Claudianus eximiam in torquendis ſpiculis, & vibrandis ſagittis Honorii peritiam commendans, hoc verborum ſenſu, eum alloquitur:

Quantâ vi torques jacula! quàm feliciter tela certum vulnus illatura dirigis! in hac certè excellis arte, quâ præſtantiſſimi ſagittarii, vel inſequendo hoſtem, vel etiam fugiendo, tela vibrare conſueverunt. Ecce nudam Poëtæ ſententiam, quam ut Poëticè exornet, pro jaculis quibuscúnque in Genere, Gortynia uſurpat ſpicula, id eſt, in oppido Cretæ, cui Gortyna nomen eſt, elaborata: pro ſagittariis univerſim præſtantiſſimis, Cydones ſeu Cydonios Cretæ populos, tum Armenios & Parthos ſingulatim recenſet his verſibus:

Quæ vires jaculis! vel cum Gortynia tendis
Spicula, quàm felix arcus, certique petitor
Vulneris, & juſſum mentiri neſcius ictum!
Scis, quo more Cydon, qua dirigat arte ſagittas
Armenius, refugo quæ ſit fiducia Partho.

Stephonius in Elegiacis hanc ſententiam (*Veſtiantur & ornentur auleis parietes*) ita Poëticè reddidit, aulæis Belgicis pro quovis periſtromatum Genere uſurpatis.

Explicet auratis paries aulæa figuris,
Belgica quæ doctâ fœmina pinxit acu.

Præ-

Præter Genus, quod dixi eſſe quoddam Totum plures infra ſe continens Species, & præter Speciem, quam dixi eſſe Partem Generi ſubjectam; alia eſt quædam Totius, alia item ratio Partium, quæ hoc loco minimè videtur eſſe prætermittenda. Nimirum eſt aliud à Genere Totum, quod certis conſtat Partibus, ex quibus integratur, & quod nulli earum Partium ſeorſim ſumptæ, ſed omnibus ſimul & in unum collectis convenit.

Poſtremum autem iſtud Totum, quod multi Rhetores cum Genere confundunt, ideò diſtinguendum putavi, quod revera diverſum ſit, & præceptionibus noſtris magnam ſit allatura lucem hujus Totius præcipua quædam, & paulò fuſior explicatio. Ac ne cui quidquam in eâ re ambiguum & obſcurum relinquatur, hujus Totius gemini appellationem diſtinguemus, alterum dicemus Totum Genericum; quid enim magis Genericum, quàm ipſum Genus? Totum Integrale alterum appellabimus, quia ſcilicet ex pluribus Partibus integratur.

Jam verò exempla Totius Integralis eſſe poterunt *Domus* ex tecto, parietibus, tabulatis, feneſtris, januisque conſtructa atque compoſita; *Annus* in quatuor diviſus tempeſtates; totus *Oceanus* in varia diſtinctus Maria; *Navis* puppi, prorâ, carinâ, tranſtris, malis, velis, antennis & cætero nauticó apparatu inſtructa; *Regnum*, aliquot provincias & urbes plurimas complectens, &c. Ut autem videas, iis omnibus quadrare definitionem Totius Integralis à me traditam, idque uno exemplo confirmetur. Annus eſt Totum, ut dixi, Integrale, cujus Partes ſunt Ver, Æſtas, Autumnus, Hyems. Iis omnibus, ſi conjunctim accipiantur, Annus convenit. Licet enim affirmare, Ver, Æſtatem, Autumnum, Hyemem, Annum eſſe: at nemo Ver aut Æſtatem annum eſſe dixerit.

In toto Generico longè aliter accidit; de quocumque enim flore licet dicere, v. g. Roſa flos eſt, Viola flos eſt, Narciſſus flos eſt, & ſic de cæteris. [illegible]a Totius Generici ſignificatio in ſingulas ejus Partes c[illegible] diviſas

viſas ab aliis cadere poteſt. Ex iis porro, quæ de Toto integrali diximus, haud eſt difficile perſpicere, quid ſit Pars integralis, & quomodo à partibus Generi ſubjectis diſtinguenda ſit.

Elegantiam Verſibus conciliat Pars Integralis uſurpata pro Toto Integrali, & totum Integrale ſumptum pro Parte Integrali; ut exemplis paulò poſt afferendis conſtabit, cum de Troporum uſu in verſibus, eorumque elegantiâ differemus.

Ad totum Integrale revocari poteſt Pluralis numerus, multa Singularia, in unum collecta, ſuâ ſignificatione complectens; & ad Partes Integrales revocari poteſt numerus Singularis, aliquid unum ſub Plurali numero contentum ſignificans. Ut autem Plurali numero ſuus ſit etiam peculiaris character, & propria quædam appellatio, illum totius Grammatici nomine deſignabo; cui ſubjectus ſingularis numerus, Pars Grammatica appellabitur.

Uſurpatio Partis Grammaticæ pro Toto Grammatico, ſeu Singularis numeri pro Plurali, Totius item Grammatici pro Parte Grammaticâ, id eſt, Pluralis numeri pro Singulari, & familiaris Poëtis & elegans eſt.

Ita Claudianus, dum Stiliconem firmo & intrepido pectore ſe ad prælium contra Barbaros accingentem refert, diverſa Gentium Barbararum nomina recenſet, Singularem uſurpans numerum pro Plurali.

Nec te terriſonus ſtridor venientis Alani.
Nec vana Hunnorum feritas, non falce Gelonus,
*Non arcu * pepulere Getæ, non Sarmata Conto,*

* id eſt, *terruere.*

Martialis contrà eleganter adhibet Pluralem numerum pro Singulari, initio Satyræ 2. ubi larvatos Virtutis ſimulatores inſectans, ſic ait:

Qui Curios ſimulant, & Bacchanalia vivunt.

Id eſt, qui inani quadam affectatæ virtutis ſpecie hominum oculis illudentes, Curio ſimiles videri volunt; cum tamen vitam vivant omnibus vitiis profligatam, & Bacchanaliorum turpibus feſtis, quàm Curii nomine digniorem.

In

In hac porrò uſurpatione pluralis numeri pro ſingulari, & ſingularis pro plurali, obſerva, elegantiam in eo potiſſimum eſſe, ut appellativa nomina quæ pluribus convenire poſſunt, á plurali numero tranſferantur ad ſingularem, & ita uſurpentur, quaſi nomina eſſent ſingularia, quæ uni duntaxat convenirent. v. g. cùm Claudianus in ſuperiori exemplo *Alanum* dicit pro *Alanis*, *Gelonum* pro *Gelonis*, *Sarmatam* pro *Sarmatis*. Ubi nomina appellativa populorum ſic in ſingulari numero ſumit, quaſi eſſent ſingularia nomina. At verò ſingularia à ſingulari numero transferuntur ad pluralem, & uſurpantur, quaſi eſſent appellativa: ut in exemplo Martialis & in nomine *Curii*, ad pluralem numerum translato, videri poteſt.

Enumeratio Partium eſt oratio, quâ Totum Genericum vel Totum Integrale in ſuas Partes diſtribuitur, v. g. ſi per Enumerationem Partium vernam florum pulchritudinem deſcribere velles, recenſendæ eſſent variæ florum ſpecies, quæ in coronariis hortorum pulvinis verno tempore collucent: Si vultûs alicujus eſſet laudanda modeſtia: frontis majeſtatem, oculorum gratiam, genarum pudorem, denique mira conditam ſuavitate modeſtiam toto aſperſam vultu deſcriberes. Uſus loci hujus oratorii multum valet ad Poëticam deſcriptionum elegantiam, quæ ex rerum particularium explicatione, ſeu ex deſcenſu à Genere ad Particularia, mirum in modum effloreſcit. In hac autem explicatione rerum particularium, ſeu Enumeratione Partium, curandum eſt, ut non uno & eodem modo ſe porrigat illa partium Enumeratio, ſed cum aliquâ varietate diffundatur. Unum affero exemplum ex Ovidio, qui Lib. 1. Faſtorum, veterem ſacrificandi morem referens, quo far cum micâ ſalis Diis offerebatur, & Laurus duntaxat ac vulgares Sabinorum herbæ, in eorum honorem adolebantur, ſic ait: *Nondum pretioſa, quæ Diis offerentur, advecta ex Aſia erant apud nos aromata*) ubi vocem illam (*aromata*) quæ Genus eſt, explicat per ſpecies ſub eo Genere contentas.

Ante Deos homini quod conciliare valeret,
Far erat, & puri lucida mica ſalis.
Nondum pertulerat lachrymatas cortice myrrhas,
Acta per æquoreas hoſpita navis aquas.
Thura nec Euphrates, nec miſerat India coſtum,
Nec fuerant rubri cognita fila croci.
Ara dabat fumos herbis contenta Sabinis,
Et non exiguo Laurus aduſta ſono.

Cauſa eſt id, ex quo, vel per quod, vel à quo, vel propter quod aliquid fit. Unde quatuor diſtinguuntur Genera Cauſarum *Materia*, ea nempe, ex quâ vel in quâ res ſunt. *Forma*, id per quod res una in ſe ab aliis omnibus rebus diſtinguitur. *Cauſa efficiens*, à quâ efficitur ea res, quæ propterea dicitur effectus. *Cauſa finalis*, propter quam aliquid fit. v. g. Aurum eſt *Materia*, ex qua fit nummus. *Forma* eſt appreſſa nummo imago Principis. *Cauſa efficiens* eſt monetarius nummi opifex. *Cauſa finalis* eſt, ut mutuum inter homines commercium his nummis faciliùs iniri & conſervari poſſit.

Ex quibus vides, *Effecta* ea eſſe omnia, quæ ex Cauſis oriuntur, & earum ope fiunt. Quanti porrò ad Artem Metricam momenti ſit illa Cauſarum & Effectorum diſtincta cognitio, paulò inferiùs, tum in Torporum explicatione, tum in tradendis ad Epithetôrum delectum regulis, liquido conſtabit.

Adjuncta, vel (ut alii loquuntur *Circumſtantiæ*, ſunt ea, quæ cum re aut cum perſonâ non neceſſario conjuncta ſunt. Qua propter alia ſunt Adjuncta rei, alia perſonæ. Adjuncta rei ſunt locus, tempus rei faciendæ, modus, & præſidia, quibus ad eam faciendam uſi ſumus.

Adjuncta perſonæ, ſunt omnes animi corporiſque dotes & affectiones, quas vel à naturâ vel ab inſtitutione & conſuetudine hauſimus. Cujuſmodi ſunt *in animo*, vis celeriter intelligendi, recordandi &c. aut ingenii tarditas atque memoriæ indoles recti ſua ſponte amans, aut ad vitium proclivis; ſcientiæ, virtutes & vitia: *in corpore*, pulchritudo, deformitas, robur, canendi, ſaltandi, ludendi peritia, &c.

Nihil

Nihil æquè confert ad Epithetorum ipſorumque adeò verſuum elegantiam, atque Adjuncta probè intellecta, & exquiſitis verbis expreſſa, ut videre eſt in ſequenti exemplo.

Exemplum illud eſt Præfatio Claudiani in Panegyticum illum ſuum, quo tertium Honorii Conſulatum eleganti carmine celebravit. Hanc enim ille Præfationem tam exquiſitis aſperſit & illuſtravit Epithetis, ex adjunctorum Loco petitis, ut vix quidquam in eo genere accuratius ſcribi poſſit.

Parvos non aquilis fas eſt educere fœtus,
Ante fidem Solis, Judiciúmque poli.
Nam pater, excuſſo ſaliit cum germine proles,
Ovaque maternus rupit hiucla tepor,
Protinus implumes convertit ad æthera nidos,
Et recto flammas imperat ore pati.
Conſulit ardentes radios, & luce magiſtrâ,
Natorum vires, ingeniúmque probat.
Degeneres refugo torſit qui lumine vultûs,
Unguibus hunc ſævis ira paterna ferit.
Exploratores oculis qui pertulit ignes,
Suſtinuitque acie nobiliore diem:
Nutritur volucrúmque potens, & fulminis hæres,
Geſturus ſummo tela triſulca Jovi
Me quoque Pieriis tentatum ſæpius antris,
Audet Magna ſuo mittere Roma DEO, *
Jam dominas aures, jam regia tecta meremur,
Et chelys Auguſto judice noſtra ſonat.

* Id eſt, Honorio imperatori.

Antecedentia ſunt, quæ rem neceſſariò antecedunt: *Conſequentia*, quæ rem neceſſario conſequuntur. Ut ortum diem neceſſario antecedit Aurora, & ortum Solem neceſſariò Dies conſequitur.

Loci hujus uſum in arte Metrica ad conciliandam verſibus elegantiam mox docebimus, cùm de Tropis Rhetoricis, ac nominatim Synedoche agemus.

Atque hæc de locis Oratoriis ad inſtituti noſtri rationem ſufficiunt, ad Tropos modò Figurasque veniamus, & quidquid in iis Parnaſſum redolet, & ſtylum ſapit Poëticum, explicemus.

§. II.

Tropi & Figuræ Rhetorices, è quibus naſcuntur Idiotiſmi Poëtarum.

Tropus eſt tranſlatorum verborum uſurpatio. Verba vero tranſlata ea ſunt, quæ à propria ſignificatione in aliam transferuntur; verbi gratiâ, cum dicimus (Prata rident) vox *ridet*, à propria ſignificatione, nempe ab homine, cui riſus propriè convenit, ad vernam pratorum amœnitatem explicandam traducitur.

Tropi ſunt plurimi, ſed quatuor duntaxat ex iis ſeligam, Metaphoram, Synecdochen, Metonymiam, & Allegoriam, è quibus præcipuè Elegantiæ Poëticæ venuſtas efflorefcit.

Metaphora eſt tranſlatio verbi ab uno, cui proprium eſt, ad aliud, cui non eſt proprium, quod quatuor modis poteſt accidere.

1. Quando fit tranſlatio à re animatâ ad rem inanimatam. Ut cùm Virgilius dixit,

-- -- -- *Pontem indignatus Araxes.*

Id eſt, Araxes fluvius non paſſus impoſitum ſibi pontem; Ubi vox, *indignatus*, quæ convenit homini, fluvio pontem, incurrentium aquarum impetu labefactanti, tribuitur.

2. Quando transfertur alicujus vocis ſignificatio à re inanimata ad rem animatam, v. g. Virgilius fluctuationem & æſtum, quæ ſunt maris & aquarum propria, transfert ad commotiones animi explicandas, cùm dicit:

Sævit amor, magnóque irarum fluctuat æſtu.

3. Quando tranſlatio fit à re animata ad aliam rem animatam, ut videre eſt in hoc Lucani verſu:

-- -- -- *Crinémque rotantes*
Sanguineum, populis ulularunt triſtia Galli.

Id eſt, Cybeles Sacerdotes, Galli dicti, cruentatum caput agitantes, dira populis vaticinati ſunt. Ubi vides ululatum à lupis ad homines transferri.

4. Quando à re inanimata, ad rem pariter inanimatam fit tranſlatio, ut cùm Æneæ Enſem, Jaſpide ſtellatum, ductâ è cœlo Metaphorâ, dixit Virgilius:

-- *Atque*

-- -- -- *Atque illi ſtellatus Jaſpide fulvâ Enſis erat.*

SYNECDOCHE eſt. 1. Cum Pars integralis pro Toto ponitur, ut puppis aut carina pro navi.

-- -- -- *Pictaſque exure Carinas.* Virgil.

2. Cum totum integrale pro Parte ſumitur, ut cùm Virgilius pro aqua ex Tiberi, & Fabari Sabinorum fluvio bibendo hauſtâ, ipſo Tiberis & Fabaris nomine uſus eſt:

Qui Tyberim Fabarimque bibunt.

Quâ phraſi horum fluviorum accolas intelligit.

3. Cum Species uſurpatur pro Genere, v. g. quia Pæſti Lucaniæ oppidi celebratiſſimæ olim erant roſæ, inde factum eſt, ut à Poëtis quæcunque roſæ per Synecdochen Pæſtanæ dicerentur:

Pæſtanis rubeant æmula labra roſis. Martial.

4. Cùm pro Specie genus uſurpamus. Ita Horatius nocturna ſydera minores ignes appellavit, cùm ait,

-- -- -- *Velut inter ignes,*
Luna Minores.

5. Cùm materiam ſumimus pro re ex eâ factâ; ut pinum pro navi, ferrum pro enſe, arborem pro remis. Ita Virgilius,

It gravis Auletes centenaque arbore fluctum.
Verberat.

6. Cùm Antecedentia pro Conſequentibus uſurpantur, v. g.

Et jam ſumma procul villarum culmina fumant.
Majoreſque cadunt altis de montibus umbræ. Virg.

Id eſt, nox adventat, quia illa omnia occaſum Solis & noctis adventum antecedunt.

7. Denique, cùm unus pro pluribus, aut ſingularis numerus pro plurali ponitur, v. g.

-- -- -- *Primóſque trucidant*
Immiſſi Danai, & latè loca milite complent. Virgil.

Metonymia eſt: 1. Cùm ſumuntur Cauſæ pro Effectis; aut Inventores pro rebus à ſe inventis, aut Dii, Elementorum præſides, pro ipſis Elementis, v. g.

-- -- -- *Cererémque caniſtris*
Expediunt. Virgil.

* Id eſt, *panem*, cujus conficiendi artem Ceres ivenit.
*Et multo inprimis hilarans convivia * Baccho.*
Virgil.
* Id eſt, *vino*, cujus inventor Bacchus extitit.
*Totis Vulcanum * ſpargere tectis.* Virgil.
* Id eſt, *ignem.*

2. Cùm Effecta pro Cauſis uſurpantur, v. g.
*Quis Grachi genus, aut geminos (duo fulmina belli) Scipiadas, cladem * Libyæ.*
Subaud *ſilentio prætereat?* Virgil.
* Id eſt, authores & cauſas multarum cladium Libyæ illatarum.

3. Cùm pro Contento ponitur Continens. v. g.
-- *Fœmineis ululant plangoribus ædes.* * Virgil.
* Id eſt, Fœminæ iis ædibus incluſæ.

4. Cùm poſſeſſor ſumitur pro re poſſeſſa. v. g.
-- -- -- *Jam proximus ardet Ucalegon.* Id eſt, *vicina Ucalegontis domus.* Virg.

5. Cùm Signum uſurpatur pro re ſignata. v. g.
Non illum populi faſces, non purpura Regum Flexit. Virgil.

Per *faſces* conſulatum: per *purpuram* Regis dignitatem intelligit: quia *faſces* ſuns inſignia Conſulatus; *purpura* eſt Regiæ dignitatis nota. Neque ſignum tantum pro re ſignificata (uti hactenus oſtendimus) uſurpare licet; ſed etiam res ſignificata viciſſim pro Signo haud ſanè ineleganter uſurpatur, v. g. Cometæ iram Superûm ſignificant, cùm diras mortalibus clades à Superis immittendas prænunciant. Si igitur Poëticis numeris illiganda tibi eſſet hæc Sententia: *Dirus Cometes flammam ſuam* (multorum ſcilicet malorum nuntiam, & irati in mortales numinis Signum certiſſimum) *per Europam circumtulit.* Ita cum eximio hujus ætatis Poëta diceres: *Ardentes Superûm circumtulit iras.* En! quomodo ille rem totam paucis verbis elegantiſſimè reddidit;

Poſtquam ſanguineo feralis crine Cometes
Terruit aſpectu populos, flammæque minacis
Prodigio, ardentes Superûm circumtulit iras.

Ita Frizonius.

Allegoria eſt translatio unius aut plurium ſententiarum à proprio ſenſu in alienum; vel (ut duobus verbis definitionem ejus abſolvam) eſt continuata Metaphora, à qua nimirum in eo tantùm differt, quod uno duntaxat in verbo tota conſtetMetaphorica translatio; at vero translatio Allegoriça latiùs pateat, & in unius ſe, atque interdum etiam plurium ſententiarum ambitum explicet. Abſolutum Allegoriæ Exemplum habes in 14. Ode Libri 1. Carminum Horatii, quæ his verſibus incipit.

> *O Navis, referent in mare te novi*
> *Fluctus: ô quid agis? fortiter occupa*
> *Portum: nonne vides, ut*
> *Nudum remigio latus? &c.*

Hac in Ode Allegorica Horatius ſub Navis nomine Romanam Rempublicam deſignat, & per mare, bellum civile; per novos fluctus, nova diſſidia; per portum, animorum conſenſionem, & pacem; per latus denique remigio nudum, Rempuplicam militibus exhauſtam ac deſtitutam intelligit.

Et hic quidem Rhetoricæ Tropus Oratoribus ac Poëtis communis, ſi aptè uſurpetur, non parum exornat orationem ſive ſolutam, ſive numeris adſtrictam. Sed aliud quoddam eſt Poëtarum magis proprium Allegoriæ genus, quo affectus & mores à rebus ſenſu & ratione præditis, ad res non ratione ſolùm, ſed omnio ſenſu carentes transferuntur, v. g. cùm Amor Deſiderium Lætitia, Admiratio, Dolor, audiendi & loquendi uſus: Rupibus, Montibus, Lucis, Fluviis, aliiſque locis, ubi degunt homines iis affectibus impulſi, tribuuntur. Hanc porro peculiarem Allegoriæ rationem, ut diſtinguam à cæteris, Allegoriam moratam voco, quia rebus inanimis mores & affectus humanos tribuit; voco etiam Poëticam, quiaPoëtarum quodammodo videtur eſſe propria, & Poëticæ orationi ſingularem gratiam conciliat.

Hujus moratæ & Poëticæ Allegoriæ luminibus ſplendet initium Carminis Apopemptici, quo P. Albertus d'Augieres à noſtra Societate, R. P. Honoratum Fabri è Gallia Romam reditum meditantem alloquitur; ubi Tiberim hujus Patris reditum urgentem inducit; ubi

Rhodano Lugdunum alluenti, Lugdunenſium in Patris chariſſimi diſceſſu mœrorem, lachrymas, vota, aliosque hujusmodi humanos affectus tribuit.

Ergo animo fixum eſt, patriâ diſcedere terrâ;
Ibis Honorate; En flavi te littora Tibris
Imperioſa vocant, & rauco murmure poſcunt.
Roma vocat, nec te abſentem lætatur * *Oliva;*
A quo non modicæ laus eſt virtutis, amari.
Heu! quantæ Rhodano lachrymæ, cum flumine prono
Te vehet invitus, nec retro vertere curſum
Fata dabunt, ſiccis non exareſcere ripis;
Nec luctu in medio ventos culpare ferentes!
Ah! vellet Dominæ muros allambere Romæ,
Et fieri ſanctus mutato nomine Tibris;
Tantus amor fluvii, tanta eſt te cura videndi.

* Præpoſitus Generalis Societatis JESU.

Ecce, quæ de Ttopis dicenda habui, quibus unam tantum figuram, ad hanc, quam inſtituimus tractationem neceſſariam, nimirum Apoſtrophen, adjungo in præſentia.

APOSTROPHE igitur eſt Figura, quâ ſermonem ab auditore ad alium avertimus, ut cùm Virgilius Æneæ Clypeum deſcribit, & inferorum pœnas in eo expreſſas attingens, orationem ad Catilinam convertit, quem iis torqueri exiſtimat.

-- -- -- -- -- -- addit, *
Tartareas etiam ſedes, alta oſtia Ditis,
Et ſcelerum pœnas, & te, Catilina, minaci
Pendentem ſcopulo, furiarúmque ora trementem.
Virgil.

* Subaud. *Vulcanus*, cujus arte & induſtriâ Clypeus ille conflatus eſt.

SECTIO V.

De Epithetorum delectu.

CIrca propoſitum Epithetorum delectum illud inprimis ab omnibus Elegantiæ Poëticæ ſtudioſis diligente

genter obſervandum eſt, ut accommodatiſſima ſint Epitheta ad hujus rei, de qua agitur, argumentum; Id eſt, ut non ſolùm Subſtantivo, cui tribuuntur, quàm aptiſſimè conveniant, ſed etiam, ut vel novam quandam toti ſententiæ vim adjiciunt, vel novum aliquod ei lumen & decus affundant. v. g. Hæc ſententia ſit Epithetis ornanda & ſuis illiganda numeris: *Eheu, Poſthume, labuntur anni, nec pietas moram rugis & ſenectæ & morti afferet.* Vide, quàm eleganter id Horatius præſtiterit, Ode 14. Lib. 2.

Eheu fugaces, Poſthume, Poſthume,
Labuntur anni, nec pietas moram
Rugis, & inſtanti ſenectæ
Afferet, indomitæque morti.

Hanc etiam ſententiam ab eodem Horatio exquiſitiſſimis Epithetis ornatam admirare: *Necquicquam DEUS terras Oceani abſcidit, ſi tamen rates vada tranſiliunt.* Id eſt, fruſtra DEI Providentia terras à mari disjunxit, ſi nihilominus homines audent navigare. Sic enim ait Ode 3. Lib. 1.

Necquicquam DEUS abſcidit
Prudens Oceano diſſociabili
Terras, ſi tamen impiæ
Non tangenda rates tranſiliunt vada.

Quam eleganter dixit *prudentem DEum*, in hac marium terrarumque diſtinctione: *Impias rates;* quod divinæ providentiæ leges violare quodammodo videantur: *Non tangenda vada*, maria ſcilicet, quæ DEus videtur idcirco infinitis propemodum Syrtium, Scopulorum, procellarúmque cinxiſſe periculis, ne unquam homines pelago ſe committere, illudve attingere auderent.

Verum, ut in uſitatiori carminum genere res tota planior fiat, adverte animum ad hanc Martialis Sententiam, ab omnibus primò nudam Epithetis, & ſuis numeris ſolutam; tam deinde illuſtratam, Epithetis, & ſuis pedibus illigatam: *Sic hamus indulget piſcibus*, id eſt, piſces alicit; *ſic eſca decipit feras.*

Sic avidis fallax indulget piſcibus hamus,
Callida ſic ſtultas decipit eſca feras.

 Idem

Idem, agens de felicitate illius, qui relictâ urbe ruri exiguis opibus contentus ac beatus vivit, & cui licet ante focum exponere plenas nemoris & ruris plagas, cui licet piſcem ſetâ ducere, & mella de cado promere; cui villica menſas onerat, & cinis præparat ova; ſic ait Lib. I. Epigram,

Cui licet exigui nemoris, ruriſque beati,
Ante focum, plenas explicuiſſe plagas.
Et piſcem tremulâ ſalientem ducere ſeta;
Flavaque de rubro promere mella cado.
Pinguis inæquales onerat cui villica menſas,
Et ſua non emptus præparat ova cinis.

Lucanus Lib. 4 Pharſal. deſcribens famem, quâ Cæſaris Caſtra apud Ilerdam in Hiſpaniâ premebantur, ſic habet:

Jámque comes ſemper magnorum prima malorum,
Sæva Fames aderat, nulloque obſeſſus ab hoſte
Miles eget: toto cenſu non prodigus emit
Exiguam Cererem Proh! lucri pallida tabes!
Non deeſt prolato jejunus venditor auro.

Quid ea deſcriptione ornatius? quid elegantius? quàm gravibus Epithetis aliorum famem exaggerat, aliorum avaritiam inſectatur? Fuerunt enim, qui in tantæ famis anguſtiis, oblata pecunia, panem aliis venderent, quo ſe ipſi ſuſtentare debuiſſet.

Sautelus noſter, cujus in verſibus tam exquiſitus & elegans eſt Epithetorum delectus, ut cum illo paucos admodum è recentioribus Poetis hac in re conferri poſſe exiſtimem; cùm in Luſibus ſuis Allegoricis de Bombyce ait, *Ejus præcordia tumere filo, & alvum ei opes ſuggere*, quam egregiis & accommodatis ad id Epithetis rem totam explicat?

Auricomo pretioſa tument præcordia filo,
Fœtaque inexhauſtas ſuggerit alvus opes.

Quia verò non alienis ſolum, ſed etiam ſuis Exemplis debet alios inſtituere, qui ſuſcipit docendi munus, afferam ſcriptum à me olim Epigramma, in quo ſtudui, quantum in me fuit, Epithetorum delectui. Argumentum erat de Chriſto, qui rogante ſanctiſſima ejus Matre, in Canæ nuptiis aquam in vinum mutavit.

Caſta verecundæ volitant dum pocula menſæ,
Divinâque pius voce ſacratur Hymen.
Deficiunt vacuis Genialia vina Lagenis,
Quique deeſt cyathis tranſit in ora rubor.
Suppuduit ſponſus; aderat ſed proxima Vitis:
Exprimit inde Novum conſcia Virgo Merum.

CAPUT VI.

De arte adhibendi Epitheta.

Vidiſti hactenus, Elegantioris Poëſeos ſtudioſe Lector, quantum Epitheta, ſi rectè adhibeantur, Poëtarum carminibus decus & ornamentum concilient. At ſciſcitari mihi videris, num Ars aliqua tradi poſſit, cujus præcepta ad hujuſmodi excogitanda Epitheta, & ad exquiſitiorem eorum delectum, viam nobis aliquam aperiant. Nullam equidem memini ejus rei Artem hactenus ab ullo de induſtriâ fuiſſe traditam. Quapropter; cùm in Poëtarum Lectionem, paucis abhinc menſibus ſolito ſtudioſiùs & oculos & animum intendere cœpiſſem, & vidiſſem, omnia fere Epitheta, quibus ineſt præcipuus quidam cultioris elegantiæ lepos, ad certa quædam capita revocari facilè poſſe; Artem illam excogitavi, cujus tibi modò rationem totam explicare aggredior. Sic enim apud me ſtatui, quemadmodum ex animadverſione Eloquentiæ naturalis nata eſt bene dicendi Ars, quam Rhetoricam dicimus; ita etiam ex animadverſione ſuavioris probatiorisque Poëſeos, illam, de quâ nunc agimus, Epithetorum Artem colligi poſſe.

Ut autem certiorem inirem hujus Artis inveniendæ viam, quærere apud me cœpi, unde potiſſimum orationi noſtræ decor & ornamentum accederet: unde conciliaretur ei toties à dicendi Magiſtris laudata illa gratia novitatis, quâ reſperſa, mirum quàm ſuaviter in aures, & ab iis in animum influat: quaque deſtituta, faſtidium illico parit; & teretes & delicatas aures ingrato admodum ſono verberat.

Ne-

parati, ut nobis peregrina magis placeant, quàm noſtra; nova, quàm obſoleta; inuſitata, quam ea, quæ quotidie cadunt ſub oculos; fuco & pigmentis ornata, quàm ea, quæ nativo ſplendore ſine ullo artis mendacio collucent. Cùm igitur tibi vox aliqua apud Poëtas ſuavius & elegantius quiddam ſonare videbitur, pro certo habe, hanc illi à novitate quadam, ſub cujus ſpecie delectat, gratiam & venuſtatem accedere; novitatem verò fere ſemper à Translatiónibus oriri. Igitur ut hanc Poëtarum Elegantiam in Epithetis primùm diſtinctiùs & apertiùs explicarem, varios Translationum modos excogitavi, intra quos omnia ſum complexus, quæ ad ejusmodi Epithetorum exquiſitiorem delectum pertinere exiſtimavi. Sit itaque primus ille modus, ſeu

PRÆCEPTUM PRIMUM.

Aptè & eleganter adhibendi Epitheta.

EPithetum Perſonæ conveniens eleganter tribuitur

1. Hujus perſonæ affectui, ut cum Virgilius ait:

-- -- -- *Sævæ memorem Junonis ob iram.*

Id eſt, Junonis memoris & ſævæ.

Attenuant vigiles corpus miſerabile curæ. Ovid.

-- -- -- *Mutum premit ille dolorem.*

Id eſt, ille mutus premit dolorem.

2. Hujus perſonæ Signo. Ita Lucanus:

-- -- -- *Et pila minantia pilis.*

Inter Romanorum inſignia erat pilum, telum miſſile, quo Romani milites in Bello utebantur.

-- -- -- *Atque hanc ſine tempora circum,*
Inter victrices hederam tibi ſerpere lauros.

Id eſt, inter victoris Imperatoris lauros.

Signaque jam patriæ vincere docta ſuæ. Propert.

Id eſt, Signa, ſeu vexilla militum, qui docti erant, ſeu qui ſciebant patriæ ſuæ vincere.

3. Hujus perſonæ inſtrumento, Virg.

Trojugenas ac tela vides inimica Latinis. Virgil.

Id eſt, tela eorum, qui ſunt Latinis inimici.

Auſus inexpertas remis audacibus undas
Tentare.

Id eſt, ipſe audax, remis tentare undas auſus.

4. Denique hujus perſonæ actioni, v. g.

-- *Intexens gravibus docta otia curis.*
Frizon.

Id eſt, ipſe doctus, otia ſeu ſtudium intexens gravibus curis.

Milliæus petulantium militum, Chriſto purpurâ induto, & ſpinis coronato: illudentium irriſiones, & atrocem impiæ fabulæ contumeliam deſcribens, *ludum* vocat, Epithetum addit à procaci militum impudentia, & *petulantem* dicit:

Veſca cohors circum petulanti inſiſtere ludo.

SECUNDUM PRÆCEPTUM.

Aptè & eleganter adhibendi Epitheta.

Epithetum Effectûs proprium multum habet elegantiæ, ſi Cauſæ tribuatur, v. g. Cùm Sautelus de Bombyce dicit:

Auricomo pretioſa tument præcordia filo.

Pretium, quod ſerico filo propriè convenit, ad ejus cauſam, nempe Bombycis præcordia transfertur.

Cuncta jacent flammis & triſti merſa favillâ.
Martial.

Triſtitia pertinet ad luctum, quem hæ flammæ ſparſo longè latéque incendio excitarunt, & ad luctûs cauſam, ipſas videlicet flammas traducitur.

Oblivioſo lævia Maſſico,
Ciboria exple. Horat.

Vini liberiùs hauſti Effectus eſt Ebrietas, quæ animum ſolvit curis: adeo ut miſeriarum oblitus ſuarum Ebrius, in effuſam hilaritatem totus abeat. Igitur oblivioſa eſt Ebrietas, & ab eâ iſtud Epithetum ad Maſſicum, vinum generoſiſſimum, transfertur.

TER-

TERTIUM. PRÆCEPTUM.

Aptè & eleganter adhibendi Epitheta.

ELegantiæ quoque multùm habet Epithetum Cauſæ tributum Effectui. v. g.

Sirenas, hilarem navigantium pœnam,
Blandasque mortes, gaudiúmque crudele:
Quas nemo quondam deſerebat auditas;
Fallax Ulyſſes dicitur reliquiſſe. Martial.

Vide ut Epitheta iſta, *hilarem*, *blandas*, *crudele*, quæ Sirenibus conveniunt, tribuantur cum eleganti antitheſi, gaudio quod creabant, pœnæ quâ afficiebant, morti quam inferebant.

Dum meditor Bombycis opus, textique ſepulchri
Fila, per artificem ſæpe reducta globum. Sautel.

Artifex eſt Bombyx, qui globum ſericum mirabili contexit artificio: ſed illud Epithetum eleganter ad globum illum ſericum à Bombyce contextum traducitur.

QUARTUM PRÆCEPTUM.

Aptè & eleganter adhibendi Epitheta.

EPithetum Totius Integrale eleganter tribuitur Parti, ut cum Martialis raptum ab aquilâ Ganymedem deſcribens, ait:

Æthereas aquilâ puerum portante per auras,
Illæſum timidis unguibus hæſit onus.

Timebat aquila, ne puerum læderet unguibus, quapropter Poëta timorem eleganter à Toto ad Partem ab aquilâ ad ejus ungues transfert.

Pari ratione in Ovidianâ Epiſtolâ Penelope viduas dicit ſuas manus:

Nec mihi quærenti ſpatioſam fallere noctem,
Laſſaret viduas pendula tela manus.

Ita quoque apud Horatium Nereus vocat adulteros Paridis crines

- - - - *Heu ſerus* * *adulteros*
Crines pulvere collines.

* Id eſt, ſerò tandem trahêris mortuus.

Idem Horatius injurioſum dixit fortunæ pedem, quo Principes de ſolio deturbat, eorúmque authoritatem quaſi columnam ſtantem evertit,

Purpurei metuunt tyranni,
Injurioſo ne pede proruas
Stantem columnam, &c.

Ita denique nuper Chriſtianæ Sabaudiæ Duci, Sereniſſimi Ducis filiæ, fauſtas feſtáſque nuptias gratulaturus eleganti carmine elegantiſſimus Poëta Salyus, Epithetum *Dominæ* à Toto ad Partem transferens, ejus fronti, quam omnes coronant majeſtatis radii, jure ſanè optimo & eleganter attribuit.

- - - - *Paulúmque ſoluta ſeveris*
Legibus, & Dominæ deponens nubila frontis, &c.
P. Berret.

QUINTUM PRÆCEPTUM

Aptè & eleganter adhibendi Epitheta.

Epithetum Partis Integralis proprium, eleganter à Parte ad Totum traducitur; & nomen Partis per Synecdochen figuram Syntaxeos accuſandi caſu effertur. Ut ſi Poëtice reddenda & pedibus illiganda iſta ſententia:

Ipſe habens tempora redimita lauro triumphali.

Epithetum *redimita*, quod temporibus ſeu capiti convenit, à Parte ad Totum transferres, & diceres: *Ipſe redimitus tempora.* In quâ Phraſi, *tempora*, eſt Accuſativus, qui regitur per Synecdochen, ut dixi ab Adjectivo, *redimitus.* Sic denique tuum verſum conderes.

Ipſe triumphali redimitus tempora Lauro.

Ita de Æneâ dixit Virgilius:

Os humeróſque DEO ſimilis.

Id eſt, habens os & humeros ſimiles DEO.

Idem Virgilius, cùm dicere vellet, Serranum jacere ebrium,

ebrium, & habere *membra multo vino victa:* ita per Synecdochen Syntaxeos hanc ſententiam reddidit:

-- -- *Multóque jacebat*
Membra DEO victus.

Ubi Epithetum, *victus,* à membris, nempe à Parte, ad Totum traducitur.

Pari ratione Turſellinus ait:

Ilicet ingenti mentem perculſa dolore.

Et Joninus:

Tonſa comam ferro, ſuccreſcit latiùs arbor.

Vide, quæ de Synecdoche figurâ Syntaxeos ſcripſi in hujus Tractationis prolegomenis, ubi aliquot Syntaxeos figuras explicui, plurimíſque exemplis illuſtravi.

SEXTUM PRÆCEPTUM.

Aptè & eleganter adhibendi Epitheta.

Epithetum rei contentæ proprium, non invenuſtè tribuitur continenti, v. g.

-- -- Non ferrea jura
Inſanumque (a) *forum, aut populi tabularia* (b) *vidit*

(a) Id eſt, inſanos homines, qui forum frequentant,
(b) Gallicè *le Greffe.*

Non mihi materiam Bellatrix * *Roma negabat.* Ovid.
* Id eſt, Romani bellatores.

Succurrunt timidis ſydera navibus. Senec.

Timor à nautis ad naves transfertur.

-- -- *Et quidquid Græcia mendax*
Audet in hiſtoriâ. Juven.

Mendax, eſt Epithetum hominibus in Græciâ contentis conveniens, quod toti Græciæ tribuitur.

Dant ſtrepitum rauci per ſtagna loquacia Cygni.
Virgil.

Loquacitas illa, ſeu cantus, eſt Cycnorum, qui intra ambitum ſtagnorum continentur, proprius; â Cycnis ad ſtagna transfertur, quæ idcirco loquacia dicuntur à Poëta.

PRÆCEPTUM SEPTIMUM.
Aptè & eleganter adhibendi Epitheta.

EPithetum rei inanimæ aut ſenſu carentis proprium, eleganter confertur in rem animatam & ſenſu præditam. Ut cùm de Charonte dixit Virgilius:

- - - *Sed cruda DEO, viridiſque ſenectus.*

Hæc duo Epitheta plantarum, arborum, fructuúmque ſunt propria, & ſenili hominis ætati tribuuntur. Pari ratione Valerius Flaccus roſeam dixit Juventutem.

- - - *Et roſeâ perfudit luce juventæ,*

Claudianus dixit, *pectora nulli pervia culpæ*, ducto à rebus corporeis Epitheto, & ad res animi translato.

Talia flammato * *ſecum Dea corde volutans.* Virg.

* Id eſt, ira accerſo, ducto ab igne Epitheto.

PRÆCEPTUM OCTAVUM.
Aptè & eleganter adhibendi Epitheta.

EPithetum rei animatæ conveniens, eleganter adjungitur rei inanimæ. Ita Lucanus deſcribens vaſtitatem, quam Italiæ civile bellum intulerat, dicit agros diu culturâ caruiſſe, & defuiſſe manus, arvis (ut inquit ille) *poſcentibus.*

Horrida quòd dumis, multóſque inarata per annos
Heſperia eſt, deſuntque manus poſcentibus arvis, &c.

Horatius cinerem doloſum dixit, quod occultum foveat ignem, quo incauti adurantur.

- - - *Et incedis per ignes*
Suppoſitos cineri doloſo.

Ovidius *emeritum* dixit aratrum, poſtquam arator diurno labore defunctus eſt; ducto Epitheto ab iis, qui legitimo tempore militiæ perfuncti muneribus, miſſionem à Ducibus impetrarant.

Ruſticus emeritum palo ſuſpendat aratrum.

Virgilius menaces dixit Fluvios, cùm in fluctus aſſurgant, ducto Epitheto ab animantibus irâ concitatis.

- - - *Fluvios tentare minaces*

Audet,

Audet, & ignoto ſeſe committere Ponto.

Claudianus deſcribens aquilam, ſuos pullos ad Solis radios explorantem, ſic habet:

Conſulit ardentes radios, & luce magiſtrâ;
Naterum vires, ingeniúmque probat.

Ubi vides, quàm eleganter Epithetum ab hominibus ductum luci tribuatur.

Turſellinus quoque eleganter Magdalenam non invento Chriſti corpore lugentem, & affixam ſepulchro Chriſti *viduo* deſcribit:

lla autem mœrens, viduóque affixa ſepulchro:

NONUM PRÆCEPTUM.

Aptè & eleganter adhibendi Epitheta.

Epithetum cuipiam rei conveniens, elegantiæ venuſtatem & vim acuminis ſecum pulcherrimam invenit, ſi tribuatur Subſtantivo Metaphorico, vel Metonymico, pro vero rei nomine uſurpato, v. g. Virgilius deſcribere volens exercitum, vidit militum haſtas cum ariſtarum acuminibus, totúmque exercitum cum Segete poſſe conferri: Igitur pro vero exercitûs nomine ſubſtituit, & uſurpat Metaphoricè nomen *Segetis*. Huic deinde voci addit Epithetum, quod exercitui convenit, illam enim *Segetem Ferream* vocat & ait:

- - - *Utrinque phalanges*
Stant denſa, ſtrictisque ſeges mucronibus horret
Ferrea.

Eâdem ratione, alibi pro pane uſurpat Metonymicè nomen Cereris, cui adjungit Epithetum panis proprium, cùm dedit *Cererem laboratam*; &, ut magis Poëticè loquatur, *Dona laborata Cereris.*

- - *Onerantque caniſtris*
Dona laboratæ Cereris, Bacchúmque miniſtrant.

Ita Martialis nivem vocat denſum vellus tacitarum aquarum:

Aſpice quam denſum tacitarum vellus aquarum
*Defluat in vultus * Cæſaris, inque ſinus.*

* Id eſt; in Statuam Cæſaris.

Cabillavus Tauri cornua Metonymicè vocat Taurini frontis *gloriam*, quam poſtea, Epitheto a cornibus ducto, vocat *corneam*. Sic enim eleganter de juvenco ſcripſit:

Cornea cui fruticat Lunatæ gloria frontis.

Ita plumbeas æncarum fiſtularum glandes Metonymice vocavi *mortem*, & adjuncto Epitheto harum glandium proprio, *mortem plumbeam*, cum dixi:

— — *Totis volitat mors plumbea caſtris.*

Sed feliciſſimus in hoc Epithetorum genere fuiſſe mihi videtur Sautelus noſter. Vide quàm eleganter uno diſticho lactis candorem, quàm ſuaviter ejus dulcedinem exprimat; illud enim vocat Metaphoricè *nectar fluitans & liquidam nivem.*

Jamque coronatis fluitanti nectare labris,
Spumabat liquidâ fictilis urna nive.

Illos Poëtas imitabere, ſi volantium apum examen voces *nubem ſtridulam.* Si vinum dicas *ignem liquidum.* Si flores appelles *terreſtria ſydera.* Si pulchrum genarum ruborem voces *purpureum juventæ lumen*, &c.

Sic Mambrunus, vir de re Poëtica optimè meritus, *Horti Circæi* Deſcriptionem exorditur:

Mollior hic Cæli facies, hic largior æther.
Veſtit odorato florentes, Lumine campos,

PRÆCEPTUM DECIMUM.

Aptè & eleganter adhibendi Epitheta.

INterdum vis Elegantiæ maxima ineſt Epithetis, quæ adjunctam habent aliquam negationem. Ut cùm Horatius dixit:

Audire magnos jam videor Duces,
Non indecoro pulvere ſordidos.

Et Virgilius:

Pocula

Pocula ſi quando ſævæ infecêre Novercæ,
Miſcuerintque herbas, & non innoxia verba:

Idem alibi referens deturbati ad inferos Salomonei Regis Elidis pœnam, qui per aheneum pontem quadrigis vectus, & faces jaculans, tonitrua & fulmen imitari voluit, ſic habet:

-- -- Divûmque ſibi poſcebat honorem
Demens, qui nimbos & non imitabile fulmen,
Ære, & cornipedum curſu ſimularat equorum.

Idem quoque deſcripturus Æneæ clypeum, in quo Nepotum Æneæ fata, & tota hiſtoriæ ſeries à Vulcano inſcripta fuerat, ſic ait:

Haſtamque, & Clypei non enarrabile textum.

Subaud. Æneas miratur.

Similiter Lucanus dixit, non ſine quadam Emphaſi:

-- -- Non unus tranſigit enſis
Viſcera.

Id eſt, multis enſibus confoditur. Poſſes quoque in eodem argumento dicere:

-- -- Animam non uno in vulnere ponit.

Martialis felicem ac beatum prædicans eum, qui liber ab omni urbanâ ſolicitudine, & modicis contentus opibus, ruri de ſuo vivit, eaque vivendi ratione maximè delectatur, ſic ſcribit:

Pinguis inæquales (a) *onerant cui villica menſas,*
Et ſua non emptus præparet ova cinis.

(*a*) Id eſt, non eodem ſemper inſtructas apparatu.

In hunc ſenſum, & in eodem argumento dixit Horatius, huic ruris & ruſticæ vitæ cultori horna vina (id eſt, quæ eodem anno lecta, confectaque ſint) uxorem è dolio depromere, & dapes *inemptas* apparare.

Sabina qualis, aut peruſta Solibus
Pernicis uxor Apuli
Sacrum vetuſtis extruat lignis focum,*
Laſſi ſub adventum viri, &c.
Et horna dulci vina promens dolio,
Dapes inemptas apparet,

* Id eſt, laribus ſacrum.

Id eundem etiam ſenſum, de eodem è ſuis arboribus

bus decerpente maturos fructus, aut hortenſia colligente ad cœnam olera, dicere poſſis.

- - - - Dapibusque oneratur inemptis.

Egregiè Milliæus Pharaonem in mari rubro, cùm jam fluctibus abſorbendus eſſet, Furiis agitatum, & triſtiſſimo dolore anxium deſcribens, ait:

Quem circum furiæ volitant, atræque remordent
Et fodiunt curæ non conſolabile pectus.

Paulò antè idem Poëta, de aquis utrinque ſupra Ægytios ſuſpenſis, quos erant mox obruturæ, & quibus imminens naufragium minari videbantur, dixerat;

- - - - Stat terror utroque
Margine, per ſummas pelagi malè penſilis oras.

Hîc Adverbium, *malè*, vim habet negationis.

Claudamus hæc Exempla, Elegantiſſimi Poëtæ Strophe Sapphicâ, qui ad Alphonſum Cardinalem Richelium olim Oden ſcribens, his eum verbis compellavit:

Princeps diſerta flumen adoreæ,
Alphonſe, mentem cui Sapientia,
Muſæque finxerunt paratam
Non humiles agitare curas. P. Bertet.

PRÆCEPTUM UNDECIMUM.

Aptè & eleganter adhibendi Epitheta.

POëtæ non invenuſtè interdum per Comparationem Epitheta nominibus adhibent. v. g.

Rex erat Æneas nobis, quo juſtior alter
Nec pietate fuit, nec bello major & armis. Virgil.
*Et juxta comes * Euryalus, quo pulchrior alter*
Non fuit Æneadum. Virg.

* Subaud. aderat.

-- -- -- Inde ferarum
*Vaſtatorem Amycum *, quo non felicior alter*
Ungere tela manu, ferrumque armare veneno. Virg.

* Subaud. interfecit.

- - - Vident, indignâ morte peremptum

Niſe-

Niſenum Æoliden, quo non præſtantior alter
Ære (a) *ciere viros Martémque* (b) *accendere cantu,*
Virgil.
(*a*) Id eſt, æreâ tubâ, *Synecdoche.* (*b*) Id eſt, bellum, *Metonymia*

-- -- -- *Cadit & Ripheus, juſtiſſimus unus*
Qui fuit in Teucris, & ſervantiſſimus æqui. Virg.

Id eſt, occiditur;

-- -- -- -- *Seniórque Galeſus* *
Dum paci medium ſe offert, juſtiſſimus unus
Qui fuit, Auſoniiſque olim ditiſſimus arvis.
Virgil.

* Subaud. occiſus ſternitur.

Milliæus ſcelus atrociſſimum ſic per comparationem gravi Epitheto exaggerat:

-- -- -- -- *Quo non immanius ullum*
Inſtigat Regum furias, & provocat enſes.

Huc referri poteſt Epithetum, *Hic & Hæc melior & Hoc melius*, quod, ſi rectè uſurpetur, elegantiſſimum eſt.

Ita ſanctiſſimam & mitiſſimam parentem, cui ſit male moratus omnium filius, rectè ſic compellabis:

Digna parens meliore nato.

Ita de puero egregiis animi corporiſque ornato dotibus, & immaturâ morte prærepto dices:

Digne puer meliore fato.

Ita Deiphobus in Trojanæ urbis expugnatione interfectus, & ab Æneâ, quem videbat in Inferis, diſceſſurus, ſic eum alloquitur:

- - - *Decus noſtrum, melioribus utere fatis.*

Virgilius alibi de priſcis Trojanæ gentis Heroibus ſic habet:

Magnanimi Heroës, nati melioribus annis.

Quia Trojæ expugnationem & incendium non viderant.

RRÆCEPTUM DUODECIMUM.

Aptè eleganter adhibendi Epitheta.

Futura Participiorum pro Epithetis uſurpata, multum elegantiæ nonnunquam in verſum invehunt.

Ita Lucanus Phænices literarum inventores celebrans, eleganter ſcripſit:

Phænices primi famæ ſi creditur, auſi
Menſuram rudibus vocem ſignare figuris.

Idem de Civilibus Bellis ſic antea ſcripſerat:

Bella geri placuit, nullos habitura triumphos.*

* Qui nullos decernebatur iis triumphus, qui in Civilibus Bellis viciſſent

Non minùs eleganter Virgilius de pinu dixit:

Naſcitur & caſus abies viſura marinos.

* Id eſt, futura aliquando navis.

Idem, de Choræbo in medios Græcorum globos ſe immittente, ut Caſſandram ab eorum manibus, ſi poſſet, eriperet; aut ſaltem eam aliquot Græcorum nece ulciſceretur, ſic habet:

Non tulit hanc ſpeciem furiatâ (a) *mente Chorabus,*
Et ſeſe medium injecit moriturus (b) *in agmen.*

(*a*) Quod Caſſandra, cujus nuptias ambiebat, à Græcis capta abduceretur. (*b*) Certus ac paratus mori.

Phario mutantia pondera ſaxo,*
Quæ cineri vanus dat ruitura labor. Martia.

Id eſt, Mauſolea magnifica, quales ſunt ſuperbæ Ægyptiorum Pyramides.

PRÆCEPTUM TREDECIMUM.

Aptè & eleganter adhibendi Epitheta.

POëtæ eleganter ducunt Epitheta à nominibus Patronymicis; Patronymica dicuntur ea nomina, quæ à propriis derivantur Patrum, Matrum, Avorum, Regum, Conditorum Urbium, Imperatorum, Regionum & Locorum nominibus; & Filium, aut Filiam, aut Nepotem; aut poſterorum aliquem; aut è Gente aliquâ, vel Regione oriundum ſignificant.

Quorum Patronymicorum nominum ut facilior & expeditior ſit uſus, è re fore exiſtimavi, quæ multis paginis Deſpauterius de Patronymicis tradidit, ea pau-

cis contrahere; & tibi, ex animo ſi forte exciderint, in memoriam revocare.

Patronymica igitur nomina vel terminantur in *des*, & ſunt Maſculina, ac primæ Declinationis; ut *Æolides*, Æoli filius aut nepos. Vel terminantur in *as* & is, & ſunt Fœminina, ac tertiæ Declinationis; ut *Æolis*, gen. *idis*. Æoli filia vel neptis. *Theſtias*, gen. *adis*, Theſtii neptis aut filia. Vel terminantur in *ne*, & ſunt etiam Fœminina, primæque Declinationis; ut *Nerine*, gent. *es*. Nerei filia.

E Nominibus in *a* & *as* formantur Patronymica in *ades*. Ut ab *Ilia* Romuli matre, fit *Iliades*, id eſt, Iliæ filius, à *Pheretias* fit *Pheretiades*, id eſt filius Pheretias. Ab *Æneas* tamen *Æneides* Æneæ filius, & *Æneadæ* Æneæ comites fuere appellati.

A Nominibus in *es* formantur Patronymica in *ades*, ut ab *Hippotes* fit *Hippotades*. Et in *iades* ſæpius; ut ab *Anchiſes*, formatur *Anchiſiades*, à *Laërtes* fit *Laërtiades*.

A Nominibus in *us* ducuntur Patronymica in *ĭdes*, penultima brevi. Ut à *Priamus Priamĭdes*. Quædam tamen penultimam producunt, ut *Lycurgīdes*, *Belīdes*, *Amphiaraides*.

A Nominibus in *ius* fiunt Patronymica in *iades*. Ut *Menetiades*, à *Menetius*.

A Nominibus in *eus* derivantur Patronymica in *ides* penultimâ longâ. Ut ab *Atreus*, *Atrīdes*, à *Tydeus*, *Tydīdes* &c. ſed ab *Otreus* formatur *Otriades*.

A Nominibus tertiæ Declinationis formantur Patronymica in *ĭdes*, penultima brevi. Ut *Agenorĭdes* ab *Agenor*, *Æſonĭdes ab Æſon*. Sed nomina in *us*, & Polyſyllaba in *on* ejusdem tertiæ Declinationis patronymica formant in *iades*. Ut *Abantiades* à Genitivo nominis *Abas*: & *Laomedontiades*, à *Laomedon*. A *Scipio* formatur *Scipiades*.

Patronymica Fœminina in *as* & *is*, formantur è Patronymicis Maſculinis in *des*, ablatâ ſyllabâ (*de*) v. g. à *Thaumantiades* (Thaumantis filius) fit *Thaumantias*, Thaumantis filia; à *Tantalides*, fit *Tantalis*.

Quædam Patronymica Fœminina utramque terminationem habent, *as* & *is*, v. g. dicimus *Atlantis idis;* & *Atlantias, adis;* Atlantis filia, vel neptis.

Patronymica Fœminina terminata in *ne* formantur à Genitivo in *i* nominum in *us*, & à Dativo in *o* nominum in *ius*, addendo *ne*. Ut *Nerine* à Genitivo *Nerei*, & per contractionem *Neri;* *Neptunine* à *Neptuni;* *Acriſione* à Dativo *Acriſio*.

Non affero multa Exempla, quibus oſtendam, quomodo fuerint à Poëtis uſurpata pro Epithetis ejuſmodi Patronymica: in quamcunque Poëtarum paginam incurras, innumera ſe tibi offerent hujusmodi Exempla. Unum igitur duntaxat, aut alterum, hic exſcribere ſatis erit, ne ab iis omnino jejunum & inops abeat iſtud caput.

- - - Si forte tuas pervenit ad aures
Belidæ nomen Palamedis, & inclyta famâ
Gloria. Virgil.
Nerine Galathea, thymo mihi dulcior Hyblæ,
Candidior Cycnis, hederâ formoſior alba.
- - - Vident indignâ morte peremptum,
Niſenum Æoliden, quo non præſtantior alter, &c.
Virgil.

Sæpius tamen ea Patronymica uſurpantur tacito & ſubintellecto nomine ſubſtantivo, cui conveniunt, v. g.

Æneadæ in ferrum pro libertate ruebant, Virgil.

Juxta ſuperiores regulas ex hodiernis Familiarum, Gentium, Populorum &c. Nominibus Patronymica formare poteris.

Ita è Regiâ Borboniorum ſtirpe oriundi dicentur *Borbonidæ;* Ex Auſtriacis Principibus nati, *Auſtriadæ;* Ita, ſi Galli dicantur *Franciadæ*, Luſitani *Luſiadæ;* Lugdunenſes à Lugdo *Lugdiadæ:* &c. magis poëtice ſonabunt huusmodi nomina, quàm cætera, quæ ore vulgi celebrantur.

PRÆ-

PRÆCEPTUM XIV.

Aptè & eleganter adhibendi Epitheta.

APpoſitum, Figuratæ orationis genus, quod in Prolegomenis explicatum fuit, eleganter aliquando Epitheti vice fungitur, & magnam verſibus gratiam parit. v. g.

*Rex * Genus egregium Fauni, &c.* Virgil.

Id eſt, O Rex (*qui es*) Fauni genus, vel, qui à Fauno ducis originem.

Dat tibi præterea fortuna parva prioris
Munera, reliquias Trojá ex ardente receptas. Virg.

Id eſt, Reliquias &c. (*quæ ſunt*) parva prioris fortunæ munera.

Iliadumque labor, veſtes, &c.

Id eſt, veſtes (*quæ ſunt*) labor Iliadum, ſeu quæ à Trojanis fœminis ſunt elaboratæ.

Nec tamen intereà raucæ (tua cura) palumbes,
Nec gemere æriâ ceſſabit Turtur ab Ulmo. Virgil.

Id eſt, palumbes (*quæ ſunt*) tua cura, ſeu quæ tibi ſunt curæ, vel, erga quas afficeris.

Ah! malè quæſiti (Damnorum ſemina) Nummi

Id eſt, nummi (*qui ſunt*) ſemina Damnorum, ſeu malorum omnium origo.

Curia prætexto quæ nunc nitet alta Senatu;
Pellitos habuit (ruſtica corda) Patres. Propert.

Id eſt, Curia, quæ nunc Senatorum, prætextâ ornatorum, conſeſſu inſignis eſt; olim Pellibus duntaxat indutos habuit Senatores, (*qui erant*) ruſtica corda, ſeu homines ruſtici, humanitatis expertes, & urbanæ conſuetudinis prorſus ignari.

Poma coronatos curvantia pondere ramos,
Arboribus pendent (munus edule) ſuis. Sautel.
Exulat hinc & morbus iners, & curva ſenectus,
Et dolor, & trepidi (pallida turba) metus. Idem.
Nam malè ceratas agitans puer Icarus alas.
In mediis periit (flebile pondus) aquis. Idem.

Hos imitatus Illuſtriſſimus Dominus Boëſſius, clariſſimum

mum hujus ævi litteratorum lumen, ſcripſit in Pyrocrene:

*Cedite Sicanii, vatum mendacia, fontes.**

* Id eſt, fontes (*qui eſtis*) vatum mendacia.

Et ego clariſſimum illum virum imitatus, cum Epigramma aliquando ſcriberem, ita exorſus ſum:

Cedite Palladiæ, priſcorum gloria turres,
Cedite Romulei tecta ſuperba Jovis,

PRÆCEPTUM XV.

Aptè & eleganter adhibendi Epitheta.

OBſervanda ſunt diligenter à Tyrone noſtro, dum lectioni Poëtarum dat operam, Epitheta quædam, quæ peculiare aliquid & eximium ſonant, quæque miram habent elegantiam, ſi rectè opportunis locis adhibeantur. Pauca tantùm proponam, & aliquot Exemplis illuſtrabo, ex quorum perfectâ & obſervatâ elegantiâ, de aliis facile poteris judicare. Sunt autem iſta *Notus*, *Conſcius*, &c.

NOTUS, A, UM.

Virgilius Cervum deſcribens, qui prima fuit Æneæ & Rutulis, mutuis ſe & primum levioribus præliis laceſſendi, tum acerrimi ineundi belli occaſio, ſic ait:

Ille manum patiens, menſæque aſſuetus herili,
Errabat ſylvis, rurſusque ad limina nota,
Ipſe domum ſerâ quamvis ſe nocte ferebat. Virgil.

Idem, narrans nocturnum Græcorum ad Trojæ littora reditum, poſt ſimulatam fugam, & ſparſum rumorem de ſuo in Græciam diſceſſu ſic refert:

Et jam Argiva Phalanx inſtructus navibus ibat,
A Tenedo, tacita per amica ſilentia Lunæ,
Littora Nota petens. Virgil.

Idem referens turpem aliquot Græcorum formidinem, qui, cum Trojanorum, in quos inciderant, ſuſtinere impetum non poſſent, fuga ſibi conſulère; & intra

ca-

cavum Equi lignei uterum, unde ad urbis expugnationem prodierant, iterum abdidêre ſeſe; ita rem exequitur:

-- -- Pars ingentem formidine turpi
Scandunt rurſus equum, & nota conduntur in alvo.

Lucanus ſimiliter eodem eleganter eſt uſus Epitheto, cum Ariminenſium, ſibi à vicino Cæſare malè metuentium, pavorem deſcribit:

Ut Notæ fulſere Aquilæ, Romanáque ſigna,
Et celſus medio conſpectus in agmine Cæſar,
Diriguêre metu:

Ita Horatius:

Incipit ex illo montes Appulia notos
Oſtentare mihi.

Idem Ode 2. Lib. 1. ad Auguſtum, ubi eluvionem terrarum, Deucalionis & Pyrrhæ Fabulâ celebrem, ex occaſione attingit, ſic habet:

Piſcium & ſumma genus hæſit ulmo.
Nota quæ ſedes fuerat columbis, &c.

Ita denique Martialis de liberto & amanuenſi ſuo:

Illa manus quondam ſtudiorum fida meorum,
*Et felix Domino, notaque * Cæſaribus.*

* Quia ejus carmina à Cæſare legebantur.

CONSCIUS, A, UM.

Virgilius de Didone mortem ſibi mox allaturâ ſic ſcribit:

*Teſtatur moritura Deos, & conſcia fatis * Sydera.*

* Id eſt, infortunii ſui.

Idem alibi de Entello poſt lapſum ad pugnam redeunte:

Acrior ad pugnam redit, & vim ſuſcitat ira:
*Tum pudor incendit vires, & conſcia * virtus.*

* Id eſt, ſuarum virium non ignara; vel (ſi mavis) ſciens, quantâ hactenus cum laude in ſimili palæſtrâ dimicaſſet.

Lucanus de remotioribus Africæ populis ſic habet:

Et gens ſi qua jacet naſcendi conſcia Nilo.

Et Martialis de Domitiani natali die:

Cæſaris

Cæſaris alma dies, & luce ſacratior illâ
Conſcia Dictæum quâ tulit Ida Jovem.

Dixi aliquando de quodam, cujus litteræ ab adverſariis interceptæ, criminis, cujus accuſabatur, fidem adſtruebant.

Hæc charta ſceleris conſcia & teſtis tui
Omnes retexit impiæ fraudis dolos.

Et de alio, qui mœrore in ſolitudinem abductus, rupes compellat ad ſui doloris ſolatium:

O vos doloris conſcia rupes mei.

Denique de Judith, ad necandum Holofernem, Betuliâ exeunte, & ad Aſſyriorum caſtra contendente, ſic ſcripſi aliquando:

*Egreditur portis audax, & * conſcia formæ,*
Caſtra inimica petit; blandaſque arceſſere fraudes
Cogitat, inſueto meditans nova prælia bello.

* Id eſt: ſciens, quid vultûs ſui poſſet illecebris.

PRÆCEPTUM XVI.

Aptè & eleganter adhibendi Epitheta.

TOtum hoc de Epithetis caput viſum eſt eodem monito claudere, quo eorum Arti explicandæ paulò ante factum eſt initium. Illud autem monebam, dandam eſſe imprimis operam, ut nullius Epitheti delectum faceremus, quod non peculiari quâdam ratione vel ornaret ſententiam, vel ejus vim & ſignificationem augeret.

Quapropter exploratum nobis, penituſque perſpectum eſſe debet illud, quod tractamus argumentum: perpendenda ſententiarum omnium vis, & cujuſque vocis notio ſenſuſque tenendus eſt: Tum demum quærenda Epitheta, quæ ſingulis vocibus, reique propoſitæ argumento, quàm fieri poteſt optimè, conveniant.

CA-

CAPUT VII.

De Mutatione Vocum.

QUidquid de Mutatione Vocum, in eo, in quo verſamur, genere dici poteſt, eo fere ſpectat, ut vel aliter reddantur Adjectiva ante Subſtantiva Nomina, vel mutentur Caſus; Numeri, verborum Modi, & Tempora, Adverbia, Conjunctiones, Ordo & Compoſitio Vocum. Quæ omnia, ut rectè & ordine proſequamur, totidem diſtinguemus Sectionibus, quot ſe offerent diverſæ in phraſi mutanda res, diverſæque mutandi rationes.

At cum mutandarum vocum rationem me traditurum promiſi, nè quæſo illud ita dictum exiſtimes, quaſi nihil aliud niſi multam Synonymorum ſupellectilem expoſiturus ſim. Hæc enim mutandi ratio, ut nihil habet artis, ita Præceptoris non eget induſtriâ. Meum autem in hac vocum mutatione, cujus artem aperio, conſilium eſt, non tantum ſtudere metro, ut numerus carminis impleatur; ſed prætereâ efficere, nulla ut ſit vox, quæ non ſuboleat Parnaſſum, & à Muſarum inſtitutione profecta eſſe videatur. Si quæ igitur erunt voces, non ita ad ſtylum Poëticum accommodatæ, aut cum rei legibus non rectè conhærentes: laudatâ illorum copiâ, qui Synonymorum Indices texuerunt; aliâ tamen ratione, &, meo quidem judicio, elegantius voces mutari poſſe, ſequentibus præceptionibus, te, qui hæc legis, vel teſte, vel judice, contendo.

SECTIO I.

De Mutatione Adjectivi.

VAriæ ſunt Adjectivi mutandi rationes.

I. Enim levi admodum facta mutatione, Adjectivum nomen Subſtantivè per Helleniſmum uſurpari poteſt,

poteſt; atque ita mutabitur in Subſtantivum ἑλληνικὸν, Ut cum dicimus: *Amara curarum*, pro, amaræ curæ. *Ardua terrarum*, pro, arduæ terræ. *Opaca locorum*, pro, loca opaca. *Deſerta viarum*, pro, viæ deſertæ. *Cœli ſupera*, pro, Cœlum ſuperum. *Cœli convexa*, pro, Cœlum convexum. Cum denique dicimus, *alia montium: ima vallium: amœna collium: denſa ſylvarum*, aliáque hujusmodi.

-- -- -- *Per ſylvas, & per deſerta viarum*
Ibat. Id eſt, deſertas vias.
Ecce aſcendentem, & cœli ſupera alta tenentem,
Dum tacitis omnes animis, oculisque tuentur, &c.
Mambrum.

2. Mutari poteſt Adjectivum, in Subſtantivum Metonymicum. Ut ſi dicamus *Laudatur pudor*, pro, laudantur pudici.

Seditio ventorum, pro venti ſeditioſi. *Inclementia Divûm*, pro Divi inclementes, &c.

Verùm inclementia Divûm
Has evertit opes. Virgil.
-- -- *Pelago indignante, minaci*
* *Hadria ventorum ſeditione tumet.*
* Id eſt, mare Hadriaticum.
*Poſtquam Epulis, Bacchóque modum laſſata * voluptas.*
Impoſuit: Lucan.
* Id eſt, homines voluptatibus mancipati.
Quod (a) *Pelagus, Nilúsque dedit, quod* (b) *luxus inani*
Ambitione furens, toto quæſivit in orbe.
Non mandante fame.
(*a*) Id eſt, quos cibos, (*b*) Id eſt, homines luxui deditì.

3. Adjectivum poſſeſſionem ſignificans, mutari poteſt in Subſtantivum rei poſſidentis. In hunc modum dicimus *Patris ædes*, pro, ædes Patriæ. *Matris lachryma*, pro, lachrymæ maternæ. *Cœli Regia*, pro, Cœleſtis Regia, Romæ Theatra, pro, Romana Theatra.

Jam

Jam pridem cœli nobis te Regia, Cæſar,
Invidet. Virgil.

-- -- -- -- Depulſus ab ubere matris,

Subaud. Agnus,

Poſt matris lachrymas. Eſt hoc lemma, quod P. Meneſtrier in Heroico ſuo D. Auguſtini ſymbolo, pendentem è vite racemum referente ingenioſè, ut cætera ſolet omnia, nuper adſcripſit.

4. Mutari poteſt adjectivum in Subſtantivum nomen, rei factæ aut faciendæ modum ſignificans. Ut cum de Græcis, qui in Equi Trojani uterum, unde paulo ante exierant, Trojanorum perſequentium metu abdiderunt ſeſe; ita ſcripſit Virgilius:

*-- -- -- -- Pars ingentem formidine * turpi*
Scandunt rurſus equum, & notâ conduntur in alvo.

* Id eſt, pars turpiter formidantes, rurſus in equi uterum ſe recipiunt.

Et cum Ovidius ſcripſit, *cavit provida cura Ducis*, pro, Dux curans, & providus cavit.

Cætera ne ſimili caderent labefacta ruinâ,
Cavit ſacrati provida cura Ducis.

5. Mutari poteſt Adjectivum in Subſtantivum materiæ. v. g. dici poteſt *Ebur Cytharæ*, pro Cythara eburneâ. Ita aliquando cecini.

Et citharæ vocalis ebur, ſua pollice docto
Ingemit.

Ita *gemmas & aurum coronæ*, pro corona gemmea & aurea licebit dicere;

-- -- -- -- Gemmiſque auróque coronæ
Exornat regale caput.

Plura hujus rei exempla in Sectione ſequenti dabimus, num. 4.

6. Mutari poteſt Adjectivum è Poſitivo in Comparativum. v. g. *Quo non præſtantior alter*, pro, præſtans. *Quo non formoſior alter*, pro, *formoſus.*

7. Mutari poteſt Adjectivum in Adverbium, ut cum dicimus, *Lene ſonant Zephyri*, pro, Lenes Zephyri ſonant.

SECTIO II.

NOn pauciores, nec minus elegantes ſe offerunt Subſtantivi, quam Adjectivi mutandi rationes. Cum enim è Rhetoricæ Tropis ferè omnes deductæ ſint, & in iis translationis, quem tantoperè laudavi, decor effulgeat, exiſtimare cuique facilè eſt, quantùs ex iis orationi Poëticæ ſplendor accedat. Quod ut exemplis conſtet liquidius, ad varios, quos affero, mutandi Subſtantivi modos animum quæſo adverte.

I.

Quot eſſe vidimus mutandi in Subſtantivum Adjectivi modos, totidem fermè ſunt mutandi in Adjectivum Subſtantivi rationes. Unam ſubjicio, ex quâ reliquæ omnes facile deducentur.

Mutari poteſt Subſtantivum rei poſſidentis in Adjectivum ſignificans poſſeſſionem. Ut cum dicimus: *Patria virtutes*, pro, virtutes Patris.

Pacatúmque reget Patriis virtutibus orbem. Virgil.

Ora puerilia, pro ora pueri.

Induit ecce amnis puerilia vitreus ora. Bidermannus.

Littorea arena, pro, arenæ littoris.

-- -- -- *Nam littoreis populator arenis*
Imminet. Lucan.

Caſus marini, pro, maris caſus, ſeu pericula.

-- -- -- *Etiam ardua palma*
Naſcitur, & caſus abies viſura marinos. Virgil.

Romanæ acies, pro, acies Romanorum.

Roga inter ſeſe paribus concurrere telis
Romanas acies iterum vidêre Philippi. Virgil.

SECTIO II.

Mutari poteſt Subſtantivum Speciei, in Subſtantivum Genericum, modo generi addatur Epithetum proprium Speciei, atque hæc mutandi ratio elegantiſſima, ut videre licet in ſequentibus Exemplis:

Sub-

Subſtantivum Speciei	*Subſtantivum Genericum*	*Epithetum Proprium Speciei.*
	Gens - -	Ætheris Incola
Aves - - -	Cohors - -	Pennata
	Agmina - -	Sonora volantûm
Aquila	Ales - -	Jovis Armiger
Gallus	Volucris - -	Tritania
	Avis - -	Nuncia Lucis
Hirundo - -	Ales - -	Veris Prænuntia
Philomela - -	Nemorum Siren -	Plumea
Pſittacus - -	Ales Humanæ Vocis	Æmula.
	Genus - -	Æquoreum
	Populus - -	Natantûm
Piſces - -	Greges - -	Squammigeri
	Gentes - -	Fluctícolæ
	Agmina - -	Muta natantûm
		Phœbea
Laurus - -	Arbor - -	Apollinea
		Venturi præſcia
		Veneri Sacra
Myrtus - -	Arbor - -	Veneri gratiſſima
		Paphia
Cupreſſus - -	Arbor - - - - -	Feralis
	(Opes - -	Vernæ
Flores - -	(Munera - -	Hortenſia
		Floræ
	(Sydera - -	Terreſtria
Roſa - -	Flos - -	Pæſtanus
Aurum - -	Metallum - -	Fulvum
Marmor - -	Lapis ---	Parius
		Dalmaticus

Quæ Arboribus tribuuntur hic Epitheta, ea quoque earum ramis & frondibus tribui poſſunt,

III.

Mutari poteſt Subſtantivum Generis, in Subſtantivum Speciei, maximè in deſcriptionibus, ubi multo jucundius & elegantius eſt ſingulares, quas deſcribimus, re-

rum Species perſequi, quàm earum duntaxat Genera recenſere.

V. g. Si in deſcriptione Veris hoc tibi argumentum proponatur; *Flores in hortis micant;* elegantius dices: *Roſa*, vel *Roſæ purpura in hortis micat;* & ſic de cæteris floribus, qui colorum ſuorum gratum & admirabilem varietatem, verno tempore, in hortis explicant.

Ita Horatius Lib. 1. Carm. Od. 1. pro quovis Vento, *Africum*, & pro quolibet Mari, *Icarios fluctus*, ſeu *Icarium Mare* uſurpat.

Luctantem Icariis fluctibus Africum,
Mercator metuens, otium & oppidi
Laudat rura ſui;

IV.

Mutari etiam eleganter poteſt nomen Subſtantivum rei alicujus proprium, in nomen materiæ, ex quâ res illa facta eſt. Ut cum uſurpatur *Ebur*, pro cytharâ eburneâ: *Æs* pro tubâ æreâ: *Ferrum* pro enſe, aut telo, aut quibusvis aliis armis ferreis: *Robur* pro clavâ roboreâ: *Pinus* pro navi pineâ: *Aurum* pro fræno aureo, poculo aureo, & aliis rebus ex auro conflatis: *Arundo* pro arundineâ ſagitta, & pro fiſtulâ arundineâ: *Cera* pro Cereis Majorum imaginibus. v. g.

*Ære * ciere viros Martemque accendere cantu.* Virg.
* Id eſt, æreâ tubâ.

*Quis furor, ô cives? quæ tanta licentia * ferri?* Lucan.
* Id eſt, armorum.

-- -- -- *Rapit* (a) *arma manu, nodiſque gravatum,*
(b) *Robur.* Virgil.

(*a*) Subaud. Hercules. (*b*) Id eſt, Clavam roboream.

-- -- -- *Hæret lateri lethalis* * arundo.
Virgil.
* Id eſt, ſagitta arundinea.

*Agreſtem tenui meditabar * arundine Muſam.* Virg.
* Id eſt, fiſtula arundinea.

*Cedet & ipſe mari vector, nec nautica * pinus*
Mutabit merces. Virgil.

* Id eſt, navis pinea.

- - *Fulvum mandunt* (a) *ſub dentibus* (b) *aurum*
Virgil.

(*a*) Subaud. equi. (*b*) Id eſt, aurea lupata.

-- -- -- *Ille impiger hauſit*
Spumantem pateram, & pleno ſe proluit * *auro.*
Virgil.

* Id eſt, pleno aureo poculo.

Tota licet veteres exornent undique * *Ceræ*
Atria, nobilitas ſola eſt atque unica virtus. Juvenal.

* Id eſt, Ceræ Majorum Imagines.

Admonitio. Quando utimur Subſtantivo materiæ, pro vero nomine rei, ex eâ materia factæ; huic Subſtantivo, quantum fieri poteſt, adjungi decet Epithetum rei maximè proprium: ut ſtatim appareat, quænam ſit illa res, quæ hoc communi materiæ nomine ſignificatur. Ut, cum dicimus, *Volucris arundo*, pro ſagittâ, *Nautica pinus*, pro navi: *ebur ſonorum*, pro cythara: *plumbum volatile*, pro glande plumbeâ: *ferrum volatile*, pro telo ferreo.

V.

Mutari poteſt nomen Partis, in nomen Totius. Ut cum pro aquâ *fontem*, pro fluctu *pontum* dixit Virgilius:

-- -- *Irriguúmque bibant violaria* * *fontem.*
Virgil.

Unam (a) *quæ Lycios, fidúmque vehebat Orontem,*
Ipſius ante oculos, ingens àvertice (b) *pontus*
In puppim ferit. Virgil.

(*a*) Subaud. navem. (*b*) Id eſt, ingens fluctus.

VI.

Mutari poteſt nomen Subſtantivum Totius, in nomen Partis. Ut cum uſurpantur *tecta* pro ædibus: *prora, puppis, carina*, pro navi: *mœnia* pro urbibus: *unius regionis populus*: pro tota gente: *Urbs una*, vel *Provincia*, pro toto Regno, vel Imperio, *ſingulæ anni tempeſtates*, pro toto anno, v. g.

Tum pavidæ matres tectis ingentibus errant.*
Virgil.
* Id eſt, per ingentes ædes.
Audiit omnipotens, oculóſque ad mœnia torſit*
Regia. Virgil.
* Id eſt, ad regiam urbem.
Et jam Argiva Phalanx inſtructis navibus ibat.*
* Id eſt, Græcorum exercitus. Argivi enim erant Græciæ populi, & primum in eo exercitu cum Lacedæmoniis dignitatis locum obtinebant.
Cum Domus Aſſaraci Phthiam, claraſque Mycenas
Servitio premet, ac victis dominabitur Argis. Virgil.
Id eſt, cum Trojanorum poſteri toti Græciæ dominabuntur. Cujus Græciæ urbes erant, Phthia, Achillis patria, Mycenæ, Agamemnonis patria & Argi, Urbs Regia Agamemnonis.
Tertia dum Latio regnantem viderit æſtas. Virgil.
Id eſt, donec per tres annos regnarit.
Jamque octava mihi, revolutis menſibus, æſtas
Ibat.
Id eſt, octo jam anni effluxerant.
-- -- -- *Illum*
Per mare, per terras ſeptima jactat Hyems.
Id eſt, ſeptem annis terra marique jactatus eſt.
Ut careo vobis, Scythicas detruſus in oras,
Quatuor Autumnos Plejas orta facit. Ovid.
Id eſt, quatuor abiere anni, ex quo apud Scythas in Ponto exulo. Idem ſenſus aliis etiam verbis, ab eodem authore, in hunc modum redditus eſt:
Ut me Pontus habet, quater arva colonus ariſtis
Nudavit, quater eſt falce reſecta Ceres.
Ubi pro æſtate meſſis per Metalepſin uſurpatur, ſicut etiam in ſequenti Exemplo:
Quarta tribus luſtris addita meſſis erat.
Id eſt, ad quindecim annos quatuor acceſſerant.
Frigida ter decies nudatum frondibus Æmum
Tendit hyems veſtire gelu; totiéſque ſolutis
Ver nivibus, viridem monti reparavit amictum.

VII.

VII.

Mutari poteſt nomen Subſtantivum Cauſæ, in nomen Effectus. Ut cum Ovidius has voces *Cacus immanis latro*, per latronum Effecta aliter in hunc modum reddit:

Cacus Aventinæ timor atque infamia ſylvæ,
Non leve finitimis, hoſpitibusque malum.

Eadem ratione P. de Buſſieres in ſuo Scanderbego, Helenæ Smyrnæi Principis filiæ ut dotes egregias commendet, vavariis Definitionibus ſtrictim conglobatis, eam deſcribit, Effecta pro cauſa uſurpans.

Una cui proles Helena eſt, pulcherrima Virgo,
Patris amor, regni fulcrum, Regúmque cupido.

Idem, in Monitis Chriſtianis, ad Clariſſimum Virum Dominum de Buffiers fratrem ſuum, cum pauperum cauſam agit, & Eleemoſynam ſuadet: ſic ait:

Ratio tibi certa legendi,
Si dederis, nummi: ſeges eſt mendicus opima.*

* Id eſt, cauſa tibi erit opimæ ſegetis & multarum divitiarum.

Eâdem mutatione uſus eſt Frizonius in Genethliaco Delphini.

Hic ego te inſtratum cunis, quas Aulica circum
Pompa fluit, ſolio Majeſtas intulit alto,
Aſpicio venerande puer, Regúmque voluptas,
Et populi cummunis amor, ſalve inclyte Delphin
Spes hominum, pignúſque DEûm, mea Gloria ſalve.

VIII.

Mutari poteſt Subſtantivum nomen, Effectum ſignificans, in nomen ipſum Cauſæ, Ut cum Virgilius pro vernanti ſegete dixit, *boum labores.*

Ruit arduus æther,
Et pluviâ ingenti, ſata læta boúmque labores
Diluit.

Seneca in Troade, pro *Troja cecidit*, dixit *cecidit Cælitum labor.* Eam quippe urbem Neptunus & Apollo mœnibus cinxerant.

-- -- -- *Columen everſum occidit,*
Pollentis Aſiæ cœlitum egregius labor,

Huc referri poſſunt ii, qui fuere rerum aliquarum primi authores, qui pro rebus à ſe inventis eleganter in verſu adhibentur; atque ita pro vitibus & vino Bacchum; pro ſegete & pane, Cererem; pro bello Martem; Muſas, pro verſibus, rectè & eleganter uſurpabimus.

Huc etiam revocantur Elementorum, & aliarum quarundam rerum Divi Præſides, qui aliquam habere videntur rationem Cauſæ: atque adeò pro Aëre, Jovem, pro aquâ Neptunum, & Thetin; pro igne, Vulcanum; Floram pro floribus; Pomonam pro pomis, & aliisejusdem fere generis fructibus, rectè & eleganter dicemus:

* *Bacchus amat colles, Aquilonem & frigora Taxi.* Virgil.

* Id eſt, vites amant eſſe in collibus.

*Et multo inprimis hilarans convivia * Baccho.*

* Id eſt, vino.

*At rubicunda * Ceres medio ſucciditur æſtu.* Virgil.

* Id eſt, ſeges.

Dant famuli manibus lymphas, Cererémque caniſtris Expediunt. Virgil.

* Id eſt, panem.

*Accendamque omnes inſani * Martis amore.* Virgil.

* Id eſt, belli.

*Pollio amat noſtram, quamvis ſit ruſtica, * Muſam.* Virgil.

* Id eſt, Bucolicos meos verſus.

-- -- -- *Si forte norantes,*

(a) *Sparſerit, aut præceps Neptuno* (b) *immerſerit Eurus.* Virgil.

(*a*) Subaud. Apes, (*b*) Id eſt, in aquam immerſerit.

Tentare Thetin ratibus. Virgil.

Id eſt, navigare. Ubi Thetis, pro mari.

Et jam maturis metuendus Jupiter uvis. Virgil.

Id eſt, Aëris intemperies, hîc enim *Jupiter* pro Aëre ſumitur.

Floram pro floribus, & Pomonam pro fructibus, quibus præſunt, ſic aliquando uſurpavi:

Nunc

Nunc hilarem ſertis flora coronat humum.
- - -- Exponit avaris
Agricolæ manibus, felicis munera rami,
Divitias Pomona ſuas.

IX.

Eleganter mutari poteſt nomen Subſtantivum rei ſignificatæ, in ipſum Signi nomen, ſeu (ut vulgo dicitur) eleganter uſurpari poteſt Signum pro re ſignificatâ. Quot ut clarius conſtet, ecce varia Signorum nomina, quæ vel uſitatius à Poëtis, vel elegantius uſurpantur, in certas deſcripta claſſes & Exemplis illuſtrata lectiſſimis.

Signa Antiqua, quorum aliqua etiamnum apud nos vigent.

Cereæ majorum Imagines	Nobilitatis
Faſces, Sella Curulis ----	Conſularis poteſtatis.
Purpura, Sceptrum Corona -- --	Regiæ Dignitatis.
Toga -- --	Senatorii muneris.
Sagum -- --	Militiæ.
Aquilæ -- --	Romanarum Legionum.

EXEMPLA.

Nam quid Imaginibus, quid avitis fulta triumphis,
Atria; quid pleni numeroſo Conſule Faſti
Profuerint, cui vita labat? Lucan.

Id eſt, quid prodeſt ei Nobilitas, qui turpi vitâ natalium ſplendorem obſcurat?

Non illum populi faſces, non purpura Regum
Flexit. Virgil.

Hinc rapti pretio faſces. Lucan.

Id eſt, emptus pecuniâ Conſulatus.

Degenerem patiere Togam, regnúmque Senatûs?

Id eſt, an patieris ignavorum & imbellium Senatorum ſuperbum dominatum?

Intereà domitis Cæſar remeabat Iberis,
Victrices Aquilas alium laturus in Orbem. Lucan.
Id eſt, Romanas Legiones.

Hodierna Principum, & Populorum Signa à Gentilitiis petita Regnorum Inſignibus.

Claves, & S. Petri		Romanorum Pontificum, & Eccleſiæ Romanæ.
Navis	-- --	
Lilia	-- --	Franciæ, & ejus Regum.
Aquila	-- --	Germaniæ & ejus Imperatorum,
Leo	-- --	Hiſpaniæ, & ejus Regum.
Pardi	-- --	Angliæ, & ejus Regum.
Luna	-- --	Turcarum.

EXEMPLA.

Baldus noſter hortans Germanos, cæteróſque Europæ Principes, ad ſanciendam pacem, bellúmque Turcis inferendum, ſic ait:

Militiæ quis fructus erit, cùm paſcet inultum
Aquilæ cadaver, Biſtonum diras aves?
Conſilio meliore, Duces, convertite ſigna
In execrandæ perfidum Lunæ caput.

Ita, pro Francis Lilia, pro Turcis Lunæ nomen, aliquando uſurpavi.

-- -- -- -- *Victus cum Turca videbit*
Lilia Idumeas iterum florere per urbes?
Fractaque pallebunt fugientis cornua Lunæ.

Devictis fugatíſque paucis abhinc annis, ad Dunkerkam Hiſpanis, & captâ à Francis Dunkerka, ita cecinit Poëta Anonymus:

Terruit Hiſpanum clades audita Leonem.

Signa Literaria.

Philoſophiæ	-- --	Pallium.

Poëſeos

Poëſeos	Bucolicæ	- -	Fiſtula.
	Heroicæ	- -	Tuba.
	Lyricæ	- -	Lyra, Cythara, Fides.
	Comicæ	- -	Soccus,
	Tragicæ.	- -	Cothurnus,

EXEMPLA.

De Philoſophis Romæ aliquando in honore habitis, ita cecini:

Inter Togatæ principes Gentis viros,
Honos haberi Pallio cœpit
*Feſtra meos olim, ſi * Fiſtula dicat amores.* Virgil.

* Id eſt, ſi paſtoritiis verſibus meos amores deſcribatis.

*Pieriâ caneret, cum fera bella, * tubâ.* Martial.

* Id eſt, Heroico carmine:

Hic in reductâ valle, canicula
*Vitabis æſtus; & * Fide Tejâ,*
Dices laborantes in uno,
Penelopen, Vitreámque Circen. Horat.

* Id eſt, Lyricis & Anacreonticis verſibus, qui à Teo Joniæ urbe, Anacreontis patria, Teji dicti ſunt; dices Penelopes & Circes amores, quibus ambæ in unum eundemque Ulyſſem ferebantur.

Hunc ſocci cepêre pedem, grandêſque Cothurni. Horat.

Id eſt, Comœdia & Tragœdia, Jambum pedem in ſuos verſus induxerunt; vel Comici & Tragici verſus Jambum pedem admiſerunt.

Signa Politica.

Olea, Toga, Clauſum Jani Templum	Pacis.
Arma Sagum, Apertum Jani Templum	Belli.
Caduceus -- -- -- --	Legationis
Laurus, Palma, -- -- --	Victoriæ,

Amal-

Amaltheæ Cornu,	--		Bonorum Copiæ.
Faſti,	---	---	Annorum.

EXEMPLA.

Si quis Ciceronianum verſum noſtris aptaret temporibus, exiguâ unius aut alterius vocis facta mutatione, ſi pacem bello anteponendam diceret:
Cedant Arma Togæ, Laurus concedat Olivæ.

De primis veterum Francorum victoriis ſic olim ſcripſi:
Et ſocias inter creverunt Lilia Palmas.
Id eſt, Francorum gloria clarior indies eorum victoriis evadebat.

De pace quoque poſt diuturnum bellum, Francos inter & Hiſpanos inita, ita ſcripſi:
-- -- -- Longis dudum exul (a) *ab oris*
Antiquas repetit ſedes, & nota reviſit
Oppida, lætantésque agros beat ubere (b) *cornu.*

(*a*) Subaud. Pax. (*b*) Id eſt, felici frugum proventu, & bonorum omnium copiâ.

Signa populorum ducta è præcibuis Regnorum fluviis.

Thameſis	--	--	Anglorum.
Sequana	--	--	Francorum.
Scaldis	--	--	Belgarum.
Rhenus	--	--	Germanorum.
Iſter	--	--	Thracum, ſeu Turcarum, & Hungarorum.
Tagus	--	--	Hiſpanorum.
Tiberis	--	--	Romanorum.
Nilus	--	--	Ægyptiorum.
Jordanis	--	--	Palæſtinorum.
Euphrates	--	--	Parthorum.
Ganges	--	--	Indorum.

EXEMPLA.

Balde in Ode ad Principum de Pace Legatos, Monaſterii agentes, aliquot ejusmodi Fluviorum nomina, eleganter pro vicinis populis uſurpavit:

Tota Europa fremit, toto concurritur orbe,
Unúmque plures inquinat gentes nefas.
Sanguineos Scaldis, Thameſisque, ut Rhenus & Iſter,
Rotant procellis intonati vortices. Balde.
Euphratem * *Nilúmque move, quo nominis usque*
Noſtri fama venit. Lucan.

* Id eſt, Ægyptios & Parthos in adverſarios commove, & noſtris adjunge partibus.

Hinc movet Euphrates, illinc Germania bellum. Virg.
Pax erat, & (veſtri Germanice cauſa triumphi)
Tradiderat famulas jam tibi Rhenus * *aquas.* Ov.

* Id eſt; jam tui jugum Imperii Germani ſubierant.

Hac ratione Delphinatis Parnaſſi decus, Nobiliſſimus Dionyſius Salvagnius Boeſſius, in Pyrocrene, Ludovici XIV. Victorias commemorat, fluviorum nomine pro victis populis, qui eos accolunt fluvios, uſurpato.

Magne, tuos dicent alii Lodoice triumphos,
Heſperiam bello factam, pulſumque Britannum,
Et domitum late Scaldim Rhenumque bicornem.

* Id eſt, Belgas & Germanos.

Poterant etiam populorum Signa peti à veſtibus; ut Romanorum à Togâ, Græcorum à Pallio, Gallorum à Braccis, &c. vel ab armis; ut Romanorum à pilis, Gallorum à gæſis, Balearium à fundâ, &c. Deorum etiam Signa afferri poterant, & deſignari per Aquilam & fulmen Jupiter: per Tridentem Neptunus: per Caduceum Mercurius: Per Ægida Pallas; per Clavam Hercules: ſed ut paulò ante monui, ea tantûm volui recenſere Signa, quæ vel uſitatiùs à Poëtis, vel elegantiùs uſurpantur.

X.

Mutari poteſt Subſtantivum nomen rei contentæ in Subſtantivum rei continentis. Vel ut Rhetorum

moer

more loquar, uſurpari poteſt continens pro re contentâ Ita Virgilius, Ægyptum pro Ægyptiis, Bactra urbem Aſiæ pro Bactrianis uſurpavit, cum de Antonio ſic ſcripſit:

Hinc ope Barbaricâ variiſque Antonius Armis,
Ægyptum, vireſque Orientis, & ultima ſecum
Bactra vehit.

Idem etiam navim pro nautis, quos capit navis, alibi uſurpavit.

--- --- *Nec nautica Pinus*
Mutabit merces.

Id eſt, nulli nautæ merces aliò convehent, neque ullo modo navigationi dabunt operam.

XI.

Ultimò mutari poteſt nomenSubſtantivum ſignificansCircumſtantiam rei cuipiam convenientem, in ipſum rei nomen: ut ſi dicas cum Petavio, *excuſſit infantem*: id eſt, infantis balbutiem vel nugas: cum Millæo, *Regem regens*: id eſt, Regis habitum ac perſonam: cum eodem, *Roſa purpurat*, pro, color roſeus purpurat, cum Lucano, *dedidicit Ducem*: id eſt, artem bellicam & Ducis munus: cum Anonymo, *geſtat Vulpem ſub pectore*; id eſt, vulpinos dolos & aſtuta conſilia.

-- -- *Ut primùm infantem excuſſit, & ora*
Solvere poſſe datum eſt. Petavius.

--- --- *Solyma ille vias in Syrmate verret*
Coccineo, Regémque gerens. Millæus de Chriſto ab Herode illuſo, & coccineâ veſte induto.

Donec (a) *dulce rubens vocis roſa* (b) *purpurat ora.*

(*a*) Id eſt, quamdiu vernat flos juventutis. (*b*) Id eſt, color roſeus.

Dedidicit jam pace Ducem. Cæſar apud Lucan. de Pompejo.

--- --- *Et aſtutam geſtat ſub pectore*
Vulpem. Anonymus.

SECTIO III.

De Mutatione Caſuum.

1. ALiquando in Vocativum eleganter mutantur per Apoſtrophen cæteri caſus. v. g.

*Scipiadas duros bello, & * te, Maxime Cæſar.* Virg.

* Pro, & maximum Cæſarem.

Terretur minimo pennæ ſtridore columba,
*Unguibus, Accipiter, * ſaucia facta tuis.* Ovid.

* Id eſt, Unguibus accipitris ſaucia facta.

-- -- *Capit ille coronam,*
*Quæ poſſet * crines, Phœbe, decere tuos.* Ovid.

* Pro, quæ poſſet Phœbi crines decere.

2. In Quæſtione *QUO* Accuſativus cum Præpoſitione *In*, eleganter mutatur in Dativum. v. g.

*Quis novus hic noſtris ſucceſſit * ſedibus hoſpes?* Virgil.

* Pro, ſucceſſit in ſedes noſtras.

Illa (a) *ſubit, mediaque minans illabitur* (b) *urbi.* Virg.

(*a*) Subaud. Equi Trojani machina. (*b*) Pro, in urbem.

*Littoráque Epiri legimus, portúque * ſubimus.* Virgil.

* Pro, in portum. Hic adverte, *portu*, eſſe Dativum Poëticum, quartæ Declinationis, qui à Poëtis ſæpius formatur in *U*, quàm in *UI*, ut *portu*, pro *portui*, *fructu*, pro *fructui*.

3. In Quæſtione *QUA*, Accuſativus cum Præpoſitione *per*, ſæpius apud Poëtas mutatur in Ablativum ſine Præpoſitione v. g.

*Tum gelidus * toto manabat corpore ſudor.* Virgil.

* Pro, per totum corpus.

--- --- *Nam te jam ſeptima portat*
*Omnibus errantem terris * & fluctibus æſtas.* Virg.

* Pro, per omnes terras & per omnia errantem maria.

4. Ablativus cum Præpoſitione *A* vel *AB* Verbi Paſſivi, interdum eleganter mutatur in Dativum per Helleniſmum.

Infert ſe ſeptus nebulâ (mirabile dictu,)

Per

*Per medios miſcétque viris, neque cernitur * ulli.*
Virgil.

* Pro neque ab ab ullo cernitur.

5. Cùm Verbis pugnandi eleganter jungiturDativus, pro Ablativo & præpoſitione *CUM*, ſeu Ablativus ille tranſit eleganter in Dativum. v. g.

Pugnabis amori.

Pro, cum amore.

Certent & cygnis ululæ. Virgil.

Pro, ululæ certent cum cygnis.

SECTIO IV.

De Mutatione Numerorum.

1. Singularis Declinationum numerus, quando res aliqua Singularis & Una ſignificatur, eleganter mutatur in numerum Pluralem. v. g.

-- -- -- *Quæ te tam læta tulerunt*
*Sæcula *, qui tanti talem genuere parentes?* Virg.

* Pro, quod tam lætum ſæculum, &c.

-- -- -- *Priami dum Regna * manebant,*
Virgil.

* Id eſt, dum ſtabat Regnum Priami. Unum enim hic tantùm Regnum ſignificatur, nempe Trojanum.

Ora natant lachrymis.

Pro, os lachrymis natat.

* *Adte confugio, & ſupplex tua * numina poſco.*
Virgil.

* Pro, tuum numen oro.

*Illa triumphatâ, Capitolia * ad alta, Corintho*
Victor aget currum. Virgil.

* Pro, ad Capitolium.

Hæc genus acre virûm, Marſos, pubémque Sabellam,
Aſſuetúmque malo Ligurem, Volſcóſque vrurtos
Extulit: hæc Decios, Marios, magnóſque Camillos
Scipiadas duros bello, & te; maxime Cæſar. Virgil.
Georg. lib 2. ubi laudes Italiæ deſcribit.

2. Pluralis Declinationum numerus, cùm plura collectim

lectim ſignificantur, eleganter mutatur in numerum Singularem. v. g.

--- --- --- Cum preſſus ab hoſte
Clauditur externis miles Romanus in oris. Lucan.

Miles Romanus, pro, Romani milites.

Nos primi Senonum motus, Cimbrúmque * *ruentem*
Vidimus. Lucan.

* Id eſt, Cimbros ruentes. Cimbri erant Germaniæ populi.

Non ante devictis Sabææ
Regibus horribilique * *Medo*
Nectis catenas. Horat.

* Id eſt, Medis.

Atque ecce, quæ circa Nominum Singularem & Pluralem numerum, in ſcribendis verſibus obſervanda mihi viſa ſunt. Quia verò præter hos Declinationum numeros, alii ſunt Arithmetici, qui etiam pro metri ratione mutari eleganter & variari poſſunt; De iis etiam hic opportunus videtur dicendi locus. Atque ita:

1. Numeri Cardinales Arithmetici, quales ſunt: *Unus, Duo, Tres Quatuor, Quinque, Sex,* &c. aliter imò elegantiùs reddi poſſunt per Adverbia numerandi, *Bis, Ter, Quater*, &c. vel conjuncta cum numeris Cardinalibus, ut in hoc Virgiliano verſu:

Sunt mihi bis * *Septem præſtanti corpore Nymphæ,*

* Id eſt, quatuordecim.

Vel conjuncta cum Numeris Ordinalibus, *Binus, Ternus, Quaternus, Quinus, Senus, Denus*, & aliis ſimiliter formatis, ut in hoc Ovidiano verſu videre eſt:

Martia ter ſenos proles adoleverat * *annos.*

* Id eſt, Romulus annum agitabat octavum ſupra decimum.

2. Mutari quòdque eleganter poſſunt Numeri Cardinales, in voces, quæ ſequuntur, quæque certum annorum numerum ſignificant.

Luſtrum, quæ vox apud Poëtas uſitatiſſima, quinque annorum ſpatium ſignificat, eò quòd quinto quoque anno Urbs à Cenſoribus Romanis luſtraretur.

--- --- Veniet Luſtris labentibus ætas. Virgil.

*Per medios miſcétque viris, neque cernitur * ulli.* Virgil.

* Pro neque ab ab ullo cernitur.

5. Cùm Verbis pugnandi eleganter jungiturDativus, pro Ablativo & præpoſitione *CUM*, ſeu Ablativus ille tranſit eleganter in Dativum. v. g.

Pugnabis amori.

Pro, cum amore.

Certent & cygnis ululæ. Virgil.

Pro, ululæ certent cum cygnis.

SECTIO IV.

De Mutatione Numerorum.

1. Singularis Declinationum numerus, quando res aliqua Singularis & Una ſignificatur, eleganter mutatur in numerum Pluralem. v. g.

-- -- -- *Quæ te tam læta tulerunt*
*Sæcula**, *qui tanti talem genuere parentes?* Virg.

* Pro, quod tam lætum ſæculum, &c.

-- -- -- *Priami dum Regna * manebant,* Virgil.

* Id eſt, dum ſtabat Regnum Priami. Unum enim hic tantùm Regnum ſignificatur, nempe Trojanum.

Ora natant lachrymis.

Pro, os lachrymis natat.

* *Ad te confugio, & ſupplex tua * numina poſco.* Virgil.

* Pro, tuum numen oro.

Illa triumphatâ, Capitolia * *ad alta, Corintho*
Victor aget currum. Virgil.

* Pro, ad Capitolium.

Hæc genus acre virûm, Marſos, pubémque Sabellam,
Aſſuetúmque malo Ligurem, Volſcóſque verutos
Extulit: hæc Decios, Marios, magnóſque Camillos
Scipiadas duros bello, & te; maxime Cæſar. Virgil. Georg. lib 2. ubi laudes Italiæ deſcribit.

2. Pluralis Declinationum numerus, cùm plura collectim

lectim ſignificantur, eleganter mutatur in numerum Singularem. v. g.

--- --- --- *Cum preſſus ab hoſte*
Clauditur externis miles Romanus in oris. Lucan.

Miles Romanus, pro, Romani milites.

Nos primi Senonum motus, Cimbrúmque * *ruentem*
Vidimus. Lucan.

* Id eſt, Cimbros ruentes. Cimbri erant Germaniæ populi.

Non ante devictis Sabææ
Regibus horribilique * *Medo*
Nectis catenas. Horat.

* Id eſt, Medis.

Atque ecce, quæ circa Nominum Singularem & Pluralem numerum, in ſcribendis verſibus obſervanda mihi viſa ſunt. Quia verò præter hos Declinationum numeros, alii ſunt Arithmetici, qui etiam pro metri ratione mutari eleganter & variari poſſunt; De iis etiam hic opportunus videtur dicendi locus. Atque ita:

1. Numeri Cardinales Arithmetici, quales ſunt: *Unus, Duo, Tres Quatuor, Quinque, Sex*, &c. aliter imò elegantiùs reddi poſſunt per Adverbia numerandi, *Bis, Ter, Quater*, &c. vel conjuncta cum numeris Cardinalibus, ut in hoc Virgiliano verſu:

Sunt mihi bis * *Septem præſtanti corpore Nymphæ,*

* Id eſt, quatuordecim.

Vel conjuncta cum Numeris Ordinalibus, *Binus, Ternus, Quaternus, Quinus, Senus, Denus*, & aliis ſimiliter formatis, ut in hoc Ovidiano verſu videre eſt:

Martia ter ſenos proles adoleverat * *annos.*

* Id eſt, Romulus annum agitabat octavum ſupra decimum.

2. Mutari quoque eleganter poſſunt Numeri Cardinales, in voces, quæ ſequuntur, quæque certum annorum numerum ſignificant.

Luſtrum, quæ vox apud Poëtas uſitatiſſima, quinque annorum ſpatium ſignificat, eò quòd quinto quoque anno Urbs à Cenſoribus Romanis luſtraretur.

--- --- *Veniet Luſtris labentibus ætas.* Virgil.

*Jamque unus Luſtris * geminis acceſſerat annus.*
* Id eſt; jam undecimus agebatur annus.
*Addideratque annos ad duo Luſtra * duos.* Ovid.
* Iſt eſt, duodecim annum attigerat.
-- -- -- -- Luſtris his quinque peractis.
Triennium, Quinquennium, & ſimiliter formatæ voces, quarum ſignificata per ſe patent.
Jamque fere tracto, duo per quinquennia, bello. Olympias, quæ vox idem ſonat apud Græcos, ac *Luſtrum*, apud Latinos. v. g.
In Scythiâ nobis quinquennis Olympias acta eſt.
Trieteris, id eſt, trium annorum ſpatium; & ſimiles Græcorum voces, Latinitate donatæ. Exemplum dabit Baldus noſter in eâ Ode, quâ Raguſium Adoleſcentem, depilis menti dedecus ægerrime ferenrem, conſolatur:

Quid fles Raguſi? cur madidam fricas,
Tergisque frontem? quòd Trieterida
Emenſus octavam, triennem
Ore tenus referas puellam.

SECTIO V.

De Mutatione Verborum, Modorum & Temporm.

I. VErbum proprium eleganter mutatur in Metaphoricum, maximè ſi verba rerum animatarum propria tribuantur inanimatis; ut cùm de arbore, cui peregrini rami inſiti ſunt, dixit Virgilius:

Miraturque novas frondes, & non ſua poma.

Id eſt, novas frondes, novosque fructus profert.

Nec Lupus inſidias pecori, nec retia Cervis
Ulla dolum meditantur. Virgil.

Id eſt, nulla explicata ſunt ad Cervos capiendos retia;

Nec varios diſcet mentiri lana colores. Virgil.

Id eſt, nec lana variis imbuetur coloribus.

*-- -- -- Et pralis non invidet Uva * Falernis.* Statius. * Subaud.

* Subaud. Quæ naſcitur in iis collibus. Nimirum æquè generoſum, ac Falerna præla, vinm fundunt hæ tuæ vites.

- - - - *Obductaque clava trinodis*
Ter, quater; adverſi ſedit in ore viri.

Id eſt, & impacta in os viri clava, ter & quater eum percuſſit.

2. Verbum proprium eleganter & ſæpe mutatur in aliud Verbum, Circumſtantiam rei, pro re ipſâ exprimens. Verbi gratia, hanc ſententiam: *Libet crura vinciantur ſonanti compede*, elegantiùs ſic reddes:

Crura licet durâ compede vincta ſonent. Tibull.

Ubi vides, pro *Vinciendi* verbo adhibitum verbum, *ſono*, quod Circumſtantiam potiùs vinculorum, quam pedum nexum ſignificat.

3. Verbum proprium eleganter redditur per phraſin, quæ Circumſtantiam actionis ſignificat. Ut ſi hæc metro ſit illiganda ſententia: *Sæpe ad illius aram mactabo agnum*, Elegantius cum Virgilio dices:

- - - - *Illius aram*
Sæpe tener noſtris ab Ovilibus imbuet agnus.

4. Verbum proprium mutari quoque eleganter poteſt in phraſin, quæ pro ipſo tempore Circumſtantiam temporis explicet. Ut cum Virgilius vocem *adveſperaſcit*, ita aliis verbis effert:

Majoreſque cadunt altis de montibus umbræ.

5. Verbum proprium eleganter etiam exprimi poteſt per phraſin, quæ Circumſtantiam loci deſcribat. v. g. Si contexendus ſit verſus in hanc ſententiam, *agnas mille habeo*, ita cum Virgilio dices:

Mille meæ Siculis errant in montibus agnæ.

Supereſt modò ut dicamus, quâ ratione in Verbis mutentur aliquando apud Poëtas Modi & Tempora, quâ de re hæc paucis & obiter accipe.

1. Infinitivus aliquando pro Indicativo uſurpatus, vim majorem & elegantiam addit verſui. v. g.

- - - - *Mene incœpto deſiſtere victam?* Virgil.

Id eſt, Egòne ab incœpto deſiſtam?

- - - - *Mene Iliacis occumbere campis*
Non potuiſſe? Virgil.

2. Præteritum tempus eleganter uſurpari poteſt pro Præſenti, ut cùm Virgilius de Apibus ſic ait:

--- Rege incolumi, mens omnibus una eſt;
Amiſſo, rupêre fidem: conſtructaque mella
Diripuêre ipſæ, & crates ſolvêre favorum.

Sed illud multo etiam frequentius in Præterito Infinitivi accidit, ut omnes ferè Poëtarum paginæ teſtantur: Unum ex Bidermanno exemplum affero, qui ſuum *de Abſalonis crinibus in laqueos verſis* Epigramma his verſibus concludit:

Expandêre ſuos, ingentia brachia, ramos,
Et placidas ramis implicuêre comas,
Hic ſenſere meos ſibi dum placuiſſe capillos,
Solus eos ſenſi diſplicuiſſe mihi.

Ubi vides, *placuiſſe* & diſplicuiſſe pro Præſenti Infinitivi uſurpari.

3. Subjunctivi Præſens eleganter pro ejusdem Modi Præterito Imperfecto uſurpatur. Ita P. de Buſſieres, in Umbra Vallis deſcriptione, poſtquam mira verſuum elegantia fontem illum deſcripſit, cujus (ut ait) læto prorumpens impetu jactus altè aërem verberat, ac mox in ſtillas ſparſus crateri ſuo reſtituitur; Ubi (inquam) ludentes per amica noctis ſilentia, circa fontem Auras, Nympháſque Aratis in ejus margine choreis indulgentes, ac ſe in fontem immergentes ad eluendos faciei nævos oſtendit; ita egregiam illam deſcriptionem egregiè concludit:

Invida reſpectat Phœbe, maculasque latentes
Abluat; igniferi prohibet regnator Olympi.

Id eſt, ablueret, ſeu ad vultus ſui maculas in eo fonte detergendas, è cœlo deſcenderet, niſi Olympi regnator prohiberet.

Si plura in eandem rem Exempla deſideras, lege, quæ de Enallage Figurâ Syntaxeos ſuperiùs docui.

SECTIO VI.
De Mutatione Adverbii.

1. ADverbia eleganter mutari poſſunt in Adjectiva, ut cùm Virgilius dixit:

Solvi-

Solvite vela * *citi.*
* Id eſt, cito.

- - - - - - - Te, cum ſtatione peractâ,
Aſtra petes * *ſerus, prælati Regia Cœli*
Excipiet plaudente polo. Lucan.

* Id eſt, ſero
Nam dum fortè domo ſe * *matutinus agebat,* Rapin.
* Id eſt, mane.

Inſtant * *ardentes Tyiri, pars ducere muros,*
Molirique arcem; &c. Virgil.

* Id eſt, ardenter inſtant.

2. Adverbia mutari poſſunt in Verba. Ut cùm de Simone à Trojanis paſtoribus capto, & ludibrio circumfuſæ multitudinis expoſito ſcribit Virgilius:

- - - - - - - - - - - Certantque illudere capto.

Id eſt, capto certatim illudunt.

Ad hunc etiam modum hanc ſententiam (*Audenter manum conferunt, & longius procurrunt*) cum Virgilio ita reddere poteris:

Et conferre manum, & procurrere longiùs audent.

SECTIO VII.

De Mutatione Conjunctionis.

IN Conjunctione (*Et*) cæteris omiſſis immorabor; quia de aliis vix aliquid occurrit in præſentiâ, quod dicam; iſta verò una & crebras & elegantes in verſu mutationes admittit.

1. Conjunctio (*Et*) eleganter mutatur in vocem unam orationis, ſuppreſsâ Conjunctione, geminatam, v. g. Phraſin illam: *Maximus ille armis & toga* omittendo conjunctionem, & geminando voces, *maximus ille;* ſic ad metri numerum adduces:

Maximus ille armis, maximus ille togâ.

Hæc mutandi ratio vim orationi confert maximam, ſive cùm interrogamus, v. g.

Q id tibi cum Cirrhâ? quid cum Permeſſidos undâ?
Martial.

Sive, cum aliquid vehementius affirmamus. v. g.

-- -- -- *Dicam horrida bella;*
Dicam acies, actóſque animis in funera Reges. Virgil.

Sive cum aliquid eſt patheticus deſcribendum, v. g.

Regaléſque accenſa comas, accenſa coronam,
Inſignem gemmis. Virgil.

-- -- *Zephyris te mollibis aura,*
Te Sylvæ gemitu, querulo te vitreus amne
Bivara, te Gentiliaci flevere receſſus, Mambrum.

Bivara *la riviere de Gentilly ou des Gobelins.*

2. Conjunctio (*Et*) mutari etiam poteſt in Præpoſitionem *Cum*, v. g.

-- -- *Silent cum flumine valles.*

Id eſt, flumen & valles ſilent.

Occidit miſeram tenerâ cum prole parentem.

Id eſt, occidit matrem & liberos.

3. Conjunctiones (*Et, Quæ, Atque,*) nonnunquam eleganter geminantur; atque ita fit quodammodo mutatio unius conjunctionis in geminam. v. g.

Atque Deos, atque aſtra vocat crudelia mater.

Item -- -- *Regémque dedit, qui fœdere certo*
Et premere, & laxas ſciret dare juſſus habenas. Virg.

Id eſt, Jupiter ventis Regem impoſuit, qui, &c.

Item -- -- -- *Relinquunt*
Armáque, crateráſque ſimul pulchróſque tapetas.
Virgil.

Admonitio (Quando iteratur in eodem verſu conjunctio (*Que*) eleganter Græcorum more produci poteſt, ſi proxime ſequens dictio inchoetur à duabus Conſonantibus, aut è litera duplici. v. g.

Terráſque, tractúſque maris, cœlúmque profundum.
Virgil.

Spiculáque, Clypeique, ereptaque roſtra carinis;
Virgil.

Eurique, Zephyrique tonant domus. Virgil.

Imò etiamſi non ſequatur Conſonans, aut litera duplex, à Vir-

à Virgilio, Ovidio, Statio; ſed (ut arbitror) per licentiam, nonniſi à magnis Poëtis, & in longo opere uſurpandam, legitur.

ſyderaque, ventique nocent, avidæque volucres.

SECTIO VIII.

De mutatione Ordinis, & Compoſitionis vocum.

INterdum legitimus vocum Ordo aut earum compoſitio eleganter mutari, & citra confuſionem omnem jucundè perturbari poteſt. Illa verò mutatio in vocibus præſertim compoſitis, quarum ſingulæ partes ſeparatim aliquid ſignificant; & in omnibus fere Præpoſitionibus accidere ſolet, v. g.

Qui te cunque manet iſto certamine caſus. Virgil.

Qui te cuuque, pro *quicunque te.* Idem fit in voce *hactenus*, in verbis *ſuperſum*, *circumdo*, & in pleriſque aliis vocibus, quas inter legendum obſervabis.

Hac Trojana tenus fuerit fortuna ſecuta. Virgil.

Jamque adeo ſuper unus eram, &c.

- - - - *Ego ſi qua ſuper fortuna laborum eſt,*
Ipſa regam. Virgil.

*Ter conatus ibi collo dare brachia * circum.* Virg.

* Id eſt, circumdare collo brachia. Ubi vides, verbi *circumdo* partes componentes, non ſolum in carmine disjungi, ſed etiam contra legitimum conſtructionis ordinem, Præpoſitionem *circum* poſtponi; quod (ut dixi) in aliis fere omnibus Præpoſitionibns fieri poteſt, v. g.

*Illis * ira modum ſupra eſt, læſæque venenum*
Morſibus inſpirant. Virgil.

*Subaud apibus.

- - - - - *Trepidant * agitare Choreas*
Gramina per molléſque herbas in margine fontis,
P. D. Buſſieres.

* Saubaud Nymphæ.

Occupat ille aditum, floréſque illabitur inter, Mamb.

 Id

Id eſt, inter flores illabitur.

Antra ſub, & ſolas valles, nemorúmque receſſus
Idem Author.

Subaud. Se proripit ſub antra &c.

CAPUT VIII.

De Mutatione Sententiæ.

POſtquam de verborum mutatione jam dictum eſt, de mutatione Sententiæ occurrunt aliqua ad Tyronum captum ſatis accommodata, quæ minimè prætermittenda viſa ſunt. Vel enim mutari poteſt ſententia, per paucarum vocum acceſſionem, vel per longiorem amplificationem, vel denique per detractionem. Præceptionibus, quas modo traditurus ſum, & Exemplis, res tota clarius patebit.

SECTIO I.

De mutatione Sententiæ per unius aut paucarum vocum acceſſionem.

1. AUgetur aliquando Sententia geminando vocem aliquam, vel ornatûs gratiâ, vel ad majorem ſignificandi vim.

En Exemplum è Rapini noſtri non *Sacris* modò, ut ille ſcripſit, ſed plane *Divinis Eclogis*!

Non procul hinc plexis redimita tempora ſertis,
Thaborides Nymphæ per florea rura vagantur;
Arbuteis, quæ ſerta legant, portanda caniſtris:
Et Thymbram, & violas; & cætera munera ruris,
*Munera divina * cunis ſpargenda puellæ.*

* Id eſt, Deiparæ Virginis, cujus in hac Eclogâ Genethliacum ſcripſit Poëta. Hic geminatio eſt ad ornatum,

in

in ſequenti vero Exemplo adhibita eſt, ut majorem orationi vim conferret:

Ecce trahebatur paſſis Priameïa Virgo
Crinibus à templo Caſſandra adytisque Minervæ:
Ad cœlum tendens ardentia Lumina; fruſtra
Lumina, nam teneras arcebant vincula palmas.

Ita Virgilius Lib. 2. Æneidos: quem imitatus Frizonius in Genethliaco Delphini, ſic cecinit:

- - - - Bizanti dejectis culmina Lunis,
Purpureasque Cruces, & candida Lilia geſtent,
Lilia, Treicias olim dominata per oras.
Perque Aſiæ dites populos, aliamque Siona.

2. Augeri poteſt Sententia per additionem Epitheti, quod regat, & ſecum invehat aliquem caſum, cujusmodi ſunt Participia, & alia quædam adjectiva. v. g. Romanorum mos erat, Imperatorum triumphis, captarum ab illis urbium, trajectorum & ſuperatorum fluminum, victorum populorum, locorum denique aliqua cæſorum hoſtium clade inſignium ferre ante illos ſimulacra.

In hoc igitur argumento ſit hæc Sententia diſticho reddenda elegiaco; *Protinus oppida cum viris læta* ſubaud. *ſunt.* Addatur 1. Epithetum voci *viris*, quæ cum victos populos ſonet, eleganter dices, *victis viris.* Alteri Subſtantivo, *oppida*, adjungatur pro Epitheto participium regens, ut dixi, & ſecum invehens caſum aliquem, quo phraſis augeatur. Quia verò illa oppida, ad imitationem captarum urbium, ex aliquo metallo conflabantur, dices, *oppida imitantia veros muros*, *Muros & Mœnia*, paulò ante dixi uſurpari pro urbibus. Adde etiam nomen metalli, ex quo fiebant illa urbium ſimulacra, æris videlicet, vel argenti, vel auri, & dices *imitantia argento &c.* Denique Participium illud pro Epitheto additum nomini Subſtantivo non impedit, quo minus aliud eidem Subſtantivo adjungetur Epithetum. In hac igitur, quam propoſui ſententia, ſi *oppida* illa dicas *Barbara*, legitimum diſtichi numerum cum Ovidio ſic implebis,

Protinus argento veros imitantia muros,
Barbara cum victis oppida læta viris,

F 5 Similis

Similis eſt hic Martialis verſus;

Ultima volventes oravit penſa Sorores.

Id eſt, Parcas;

Et iſtud Ovidii:

Et careant loliis oculos vitiantibus agri.

Sit etiam hæc ſententia heroico verſu efferenda. Dum Regem, iſt eſt, Porſennam, peteret dexta, Subaud. Mutii Scævolæ. Huic voci, *dextra* ad IV. Præceptum, Capite VI. ſuperius traditum, detur Epithetum Scævolæ conveniens; cujus ſignificatum *à Toto*, nempe à Scævola, *ad partem*, illius videlicet dexteram transferatur. Aque ita, quia Mutius ſatellitem pro rege adortus, deceptus eſt; eleganter *decepta* dicetur ejus *dextera*: jam vero Participium *deceptus* regit aliquem Ablativum, quem propterea in ſequenti verſu ei recte Martialis attribuit.

Dum peteret Regem decepta ſatellite dextra.

3. Dilatari poteſt ſententia, addendo Epithetum, quod, poſtea juxta ſecundum modum mutandi Adjectiva, Sectione 1. Capitis 7. traditum, mutetur in Subſtantivum; atque ita pro uno Subſtantivo habebis geminum. Si modo utrique Subſtantivo ſuum adhibeatur Epithetum, longe uberior evadet Sententia; & quæ vix ad hemiſtichium ſufficere videbatur, integrum tibi verſum conficiet. v. g.

In hac Sententia *Extinxit bellum*, accedente Epitheto, *bellum incenſum* dices. Adjectivum deinde illud in Subſtantivum ſi mutes, & dicas, *extinxit belli incendia*: Ecce tibi geminum Subſtantivum. Utrique adſciſce Epithetum, & verſum ita condes:

Extinxit miſeri funeſta incendia belli.

4. Augeri poteſt ſententia à contrario, ſeu per aliam Phraſin, quæ à contrario ducta, idem cum prima ſignificet, v. g. *Pax* eſt *Bello* contraria. Si igitur dilatanda ſit iſta Sententia; Bellum *extinxit*, per Phraſin; in quâ *Pacis* nomen uſurpetur, dices, *& pacem revexit*. Addatur modò utrilibet horum Subſtantivorum, aut ſi opus eſt, utrique Epithetum, & in hunc modum aucta Sententia hunc tibi verſum reddet:

Fatale

Fatale extinxit bellum, pacemque revexit.
Vel iſtum:
Extinxit bellum, pacemque revexit amicam.

5 Augeri etiam poteſt Sententia, per Ablativos abſolutos, modum aut inſtrumentum, quo aliquid fit, explicantes. Ecce in eam rem Exempla varia, ſine Ablativis illis primùm, & ſine numeris; tum ſuis Ablativis aucta, & numeris illigata.

Quis Magno (Id eſt, Pompejo) major fuerat? tamen ipſe fugiens rogavit clientis opem.
Quis magno fuerat major; tamen ipſe rogavit
Submiſſa fugiens voce clientis opem. Ovid,
Et felix ager reddet mandata terræ ſemina.
-- -- -- -- -- *Mandataque ſemina terræ*
Felix multiplici fœnore reddet ager.
Aut portum tenet, aut ſubit oſtia,
Aut portum tenet, aut pleno ſubit oſtia velo. Virgil.
Ingratas preces reſpuit.
Ingratas durâ reſpuit aure preces.
Et violata altaria ſacris templis reſtituet.
-- -- -- -- -- *Et vindice ferro*
Reſtituet ſacris violata altaria templis,

6. Creſcere poteſt Sententia, per interjectionis affectum.
I. Cum res horrenda deſcribitur. v. g.
Ecce autem gemini à Tenedo tranquilla per alta,*
(Horreſco referens) immenſis orbibus angues
Incumbunt pelago. Virgil.
* Tenedos eſt inſula, Trojæ & adverſo oppoſita.
Vidit thuricremis cum dona imponeret arvis,
(Horrendum dictu) latices nigreſcere ſacros. Virg.
II. In re luctuoſâ.
Et mortem nomen Druſo Germania fecit,
(Me miſerum) virtus quam brevis illa fuit!* Ovid.
* Quia Druſus immaturâ morte præreptus eſt.
Funera ducuntur Romana per oppida Druſi,
(Heu facinus!) per quæ victor iturus erat. Ovid.
Milliæus Pilatum deſcribens; Chriſtum plagis toto corpore conciſum, & lacerum, ad concitandam commiſarationem, Judæis oſtentantem; ſic ait:

Hæc

Hac ſpecie tandem (viſu miſerabile) Regem
Acapite ad talos lacerum, Pilatus in altis
Porticibus, procerum populi producit in ora.

III. In re admiranda.

*Hujus * apes ſummum denſæ (mirabile dictu)*
Obſedêre Apicem. Virgil.

* Subaud. Arboris.

IV. In re valde probroſâ & turpi.

Ægyptum, viresque Orientis, & ultima ſecum
*Baſtra vehit**, *ſequiturque (nefas) Ægyptia conjux.*
Virgil.

* Id eſt, Antonius.

V. In mali imminentis narratione.

Tum magnum exitium (quod Dî prius Omen in ipſum
Convertant) Priami Imperio, Phrygibusque futurum
* Virgil.

* Subaud. Prædicebat Calchas.
* Virgil.

Atque hæc interjectionum Exempla ſufficiant: neque enim hic earum indicem texere fuit animus, ſed tantùm præire Tyronibus, ut ipſi ſimiles ſimili in argumento, & aliàs in omni dicendi genere, ſuo Marte excogitent.

7. Augeri denique poteſt Sententia per Parentheſin, quæ variis de cauſis, ſed potiſſimum ad eorum, quæ dicuntur aut fiunt, rationem afferendam, interſeri Sententiæ ſolet. v. g.

Dixit, & extemplo (neque enim reſponſa dabantur
Fida ſatis) ſenſit medios delapſus in hoſtes. Virgil.

* Subaud. Androgeos Græcus, de quo, in Trojanorum inſidias delapſo, loquitur Virgilius:

Dî maris & terræ, (quid enim niſi vota ſuperſunt)
Parcite quaſſatæ ſolvere membra ratis. Ovid.

Id eſt, nolite in miſerum ſævire diutiùs.

Æneas (neque enim patrius conſiſtere mentem
Paſſus (a) *amor) rapidum ad naves* (b) *præmittit Achatem.* Virgil.

a) Subaud. Eſt. (*b*) Ubi filium reliquerat.

SE-

SECTIO II.

De mutatione Sententiæ per longiorem Amplificationem.

NE quæſo, dum hunc cernis titulum, ſtudioſe Lector, hic me Rhetorem, depoſitâ perſonâ, velle agere; & non Metricam, ſed Oratoriam Artem ſuſcipere tradendam exiſtimes. Sat memini, quem mihi ſcopum propoſuerim, quosve mihi cancellos Ars illa, quam trado, circumſcribat. Illam duntaxat amplificandi rationem explicare aggredior, in quam jus quoddam ſibi peculiare Poëtæ vindicant; quæque eſt ejusmodi, ut ex illâ præcipuè vim ſuam ſuásque Veneres Poëtarum Oratio mutuari omnino videatur.

Quod ut facili & perſpicuâ methodo aſſequar, quatuor diſtinguo, in quibus potiſſimùm Amplificationis Poëticæ diffuſa & elegans copia porrigere ſeſe & explicare ſolet; ſcilicet, *Enumerationem Partium*, *Deſcriptionem Adjunctorum*, *Uſum Comparationum*, *Congeriem ſententiarum*; quæ quatuor totidem Paragraphis complector.

---

§. I.

De Poëticâ Partium Enumeratione.

ENumeratio Partium duplex eſt, altera per quam pro Genere recenſentur Species Generi ſubjectæ: ut ſi ad amplificandam iſtam Sententiam, *Virtutes in tuo vultu elucent*, Virtutis nomen Genericum variarum Enumeratione Virtutum explices. Altera Partium enumeratio eſt, per quam pro Toto Integrali recenſentur Partes Integrales: ut ſi in ſuperiori Sententiâ, pro vultu, Partes Integrales, è quibus vultus componitur, os nimirum, frontem, oculos, labra, linguam, partésque vultus cæteras uſurpares. Hæc porrò utraque Partium Enumeratio Poëtis eſt admodum familiaris, ac proindè

in eâ Tyrones diligenter exercendi ſunt. Varia illarum exempla affero, quorum primum ſuperiorem Sententiam pro argumento habet, & utramque Enumerationem feliciſſime complectitur.

ARGUMENTUM
Virtutes in tuo vultu elucent.

EXEMPLUM.

Excubat in niveo tibi pulchra Modeſtia vultu,
Et roſeus niveo regnat in ore Pudor.
Simplicitas oculis; ſacrâ Facundia linguâ,
Ridet ingenuis Gratia viva labris.
Majeſtas humeros, placidam Clementia frontem,
Pura verecundus pectora Candor habet.
Pro foribus famuli, video, famulæque morantur,
Virtutem Dominam quis neget eſſe Domi?

Vides, quàm eleganter duplici illâ Enumeratione, Specierum videlicet ſub Generico Virtutis nomine contentarum, & Partium vultum componentium, atque integrantium, propoſita Sententia in longam diffundatur Amplificationem; per quam ſua cuique Parti vultûs, ſpecies virtutis aſſignatur.

ARGUMENTUM.
Secundi Exempli Enumerationis Poëticæ.
Omnia mala Inferorum limen obſident

EXEMPLUM.

Veſtibulum ante ipſum, primiſque in faucibus Orci,
Luctus & ultrices poſuere cubilia curæ:
Pallentéſque habitant morbi, triſtíſque ſenectus,
Et metus & malè ſuada fames, & turpis egeſtas,
Terribiles viſu formæ) lethúmque, laborque:
Tum conſanguineus lethi ſopor, & mala mentis
Gaudia mortiferúmque adverſo in limine bellum:

* *Ferrei-*

* *Ferreique Eumenidum thalami, & diſcordia demens,*
Vipereum crinem vitis innexa cruentis.

Virgil. Lib. 6. Æneid. * Vox *Ferrei*, in hoc loco eſt Spondæus per contractionem duarum poſtremarum ſyllabarum in unam.

ARGUMENTUM.

Tertii Exempli Enumerationis Poëticæ.

Omnia verno tempore amœna ſunt.

EXEMPLUM.

Omnia tunc florent, tunc eſt nova temporis ætas
Et nova de gravido Palmite gemma tumet.
Et modò formatis operitur frontibus arbor,
Prodit & in ſummum ſeminis herba ſolum.
Et tepidum volucres concentibus aëra mulcent,
Ludit & in pratis: luxuriatque pecus.
Tunc blandi ſoles ignotaque prodit hirundo,
Et luteum celsâ ſub trabe fingit opus. Ovidius.

In hac Enumeratione, cujus Argumentum eſſe dixi iſtam Sententiam: *Omnia verno tempore amœna ſunt;* vox (Omnia) per Enumerationem amplificatur, recenſendo varias res, in quibus læta Veris amœnitas apparet. Eæ verò ſunt gemmantes in vitibus palmites, frondentes in ſylvis arbores, herbæ vernantes in ſolo, aves in aëre canentes, pecus in pratis ludens, Sol in cœlo radians & ſerenus, hirundo Veris nuntia & comes ſub tectis nidificans; quæ omnia in ſuperiori Exemplo ab Ovidio recenſita ſunt.

ARGUMENTUM

Quarti Exempli Enumerationis Poëticæ.

Cur non aliud mihi propoſui ſcribendi armentum.

Ita Ovid. Lib. 2. Triſt. dolens, quod amatorios verſus ſcripſiſſet, quorum causâ in exilium pulſus credatur.

EXEM-

EXEMPLUM.

Cur non Argolicis potiùs, quæ concidit armis,
Vexata eſt iterum carmine Troja meo?
Cur tacui Thebas, & mutua vulnera (a) *fratrum,*
Et ſeptem portas ſub Duce (b) *quamque ſuo?*
Non mihi materiam bellatrix Roma negabat,
Et pius eſt patriæ facta referre labor.
Denique cum meritis impleveris omnia, Cæſar,
Pars mihi de multis una canenda fuit.

(*a*) Id eſt, Eteolis, & Polynicis fratrum, qui in bello Thebano mutuis ictibus mutuiſque vulneribus confecti ceciderunt. (*b*) Id eſt, ſeptem Thebanæ urbis portas, quibus ſingulis eodem tempore oppugnandi ſingulos Duces Polynices attribuerat, cùm urbem illam & fratrem in eâ incluſum obſideret.

In hac Enumeratione, in quâ amplificatur hæc (ut dixi) Sententia: *Cur non alud mihi propoſui ſcribendi Argumentum?* Voces iſtæ (*aliud Argumentum*) locum teneant Generis. Amplificantur autem enumerando varias Argumentorum Species, in quibus ſuum ingenium exercere, ſuóſque feliciùs labores conſumere potuiſſet Ovidius. Ea porrò Argumenta erant, Trojanum aut Thebanum Bellum, Bellicæ Romanorum expeditiones, Laudes Cæſaris.

ARGUMENTUM

Quinti Exempli Enumerationis Poëticæ.

Quo jam abiit illa puerilis formæ venuſtas? quò illæ pueri blandientis illecebræ?

Statius in Epicedio Glaciæ pueri, immaturâ morte abrepti.

EXEMPLUM.

O, ubi purpureo ſuffuſus ſanguine candor:
Sydereique orbes, radiataque lumina cœlo,

Et caſtigatæ collecta modeſtia frontis,
Ingenuique ſuper crinis, mollisque decora
Margo comæ? Blandis ubinam ora arguta querelis,
Oſculaque impliciti vernos redolentia flores,
Et mixtæ riſu lachrymæ penitusque loquentis
Hyblæis vox mixta favis? cui ſibila ſerpens
Poneret, & ſævæ vellent ſervire novercæ.
Nil veris affingo bonis, heu lactea colla,
Brachiaque, & nunquam Domini ſine pendere cervix!

Duo ſunt in hoc Exemplo Genera, quæ per Enumerationem partium explicantur. Primum Genus eſt (*Venuſtas formæ puerilis*) amplificatur autem, recenſendo omnia, quæ in hoc puero, cujus laudatur forma, venuſta erant; ſeu, varias, quæ in eo emicabant, Species venuſtatis. Alterum Genus eſt,) *Pueri blandientis illecebra*) ad cujus Amplificationem Poëta multas pueri blanditias refert, v. g. blandas ejus querelas, dulcia oſcula, mixtas riſu lachrymas, ſuaviſſimas voces.

---

§. II.

De Poëtica Deſcriptione Adjunctorum, ſeu rerum per Adjuncta.

SEcundus Amplificationis Poëticæ Campus, quem paulò ante diſtinxi, ille eſt, qui in Deſcriptiones totus diffunditur, & in quo maximè ſuo Genio Poëſis indulget. Illæ autem Deſcriptiones fiunt uſu & explicatione *Adjunctorum* ſeu *Circumſtantiarum*, quæ vel inhærent perſonæ, vel rei, de unâ igitur conveniunt, & hoc toties decantato verſu comprehenduntur:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando? Per vocem (*Quis*) perſonam & Adjuncta ſeu Circumſtantias perſonæ intellige. Per vocem (*Quid*) res, de quâ ſermo eſt, exprimitur: Per alias voces Adjuncta rei deſignantur, nimirum, Locus; Auxilia, quibus perfecta res eſt, aut fieri debet; Finis, rem agenti propoſitus; rei factæ aut faciendæ Modus; ac denique Tem-

pus. Jam vero illorum Adjunctorum uſum, & Elegantiam Poëticam in ſequentibus Deſcriptionum Exemplis inſpiciamus.

ARGUMENTUM
Primi Exempli Deſcriptionis Poëticæ.

Narciſſus ſe in fonte contemplans, ſuæque formæ inani ſpecie deceptus.

EXEMPLUM.

Circumſtantia Loci.

Fons erat illimis, nitidis argenteus undis,
Quem neque paſtores, neque paſtæ in monte capellæ
Contigerant, aliudve pecus, quem nulla volucris
Nec fera turbarat: nec lapſus ab arbore ramus.
Gramen erat circa, quod proximus humor alebat,
Sylvaque Sole locum paſſura tepeſcere nullo.

Circumſtantia Perſonæ.

Hic puer, & ſtudio venandi laſſus & æſtu
Procubuit, faciemque loci, fontemque ſecutus.

Circumſtantia Rei.

Dumque ſitim ſedare cupit, ſitis altera crevit:
Dumque bibit, viſæ correptus imagine formæ,
Spem ſine corpore amat: corpus putat eſſe, quod umbra eſt;

Perſonæ iterum Circumſtantia.

Ac ſtupet ipſe ſibi, vultúque immotus eodem
Hæret; ut è Pario formatum marmore ſignum.

Adjuncta perſonæ & rei mixtim congeſta.

Spectat humi poſitus geminum, ceu lumina Sidus:
Et dignos Baccho digitos, & Apolline crines,
Impubéſque genas, & eburnea colla, decúſque
Oris, & in niveo miſtum candore ruborem.
Cunctaque miratur, quibus eſt mirabilis ipſe,

Seque

Seque amat imprudens; & qui probat, ipſe probatur.
Dúmque petit, petitur, pariterque accendit & ardet.
Irrita fallaci quoties dedit oſcula fonti?
In medias quoties viſum captantia collum
Brachia merſit aquas, nec ſe deprendit in illis?
Quid videat, neſcit, ſed, quod videt, uritur illo:
Atque oculos, idem qui decipit, incitat error.
Credule, quid fruſtra ſimulacra fugacia captas?
Quod petis, eſt nuſquam, quod amas, avertere perdes.
Iſta repercuſſæ, quam cernis, imaginis umbra eſt.
Nil habet iſta ſui: tecum venitque, manétque:
Tecum diſcedit, ſi tu diſcere poſſis.
Non illum Cereris, non illum cura quietis
Abſtrahere inde poteſt, ſed opacâ fuſus in herba,
Spectat inexpleto mendacem lumine formam:
Perque oculos perit ipſe ſuos, &c.

Ovid. Libr. III. Metamorph. Fabul. 4.

Vides in hac Deſcriptione, quàm feliciter Adjunctis rei, loci, perſonæ, ad ſuam illam Amplificationem poëta ſit uſus. Quia vero in Circumſtantia perſonæ potiſſimum hæſit, & in explicandis variis Narciſſi affectibus, ac verbis referendis diu eſt immoratus, quâ ſanè in re Ovidianæ Muſæ ſemper triumphat ingenium.

Multæ ſunt in hoc uno perſonæ Adjuncto comprehenſæ & incluſæ aliæ, inferiores & ſubalternæ (ut ita dicam) Circumſtantiæ; nimirum ejus, de qua agitur, perſonæ *parentes, ortus, educatio, mores, affectus, ſenſa animi, verba, præclara animi corporiſque dotes, & vita, fortuna, caſus;* è quibus Circumſtantiis tanquam ex uberrimo fonte manant illæ tantopere laudatæ Ovidii Deſcriptiones patheticæ. Utut enim eleganter & ingenioſè aliàs omnes perſonæ Circumſtantias Poëta Sulmonenſis ſuis in Deſcriptionibus adhibuerit, in animi tamen affectibus deſcribendis, excellere viſus eſt.

ARGUMENTUM

Secundi Exempli Deſcriptionis Poëticæ.

Quatuor mundi ætates, Aurea, Argentes, Ærea, Ferrea.

EXEMPLUM.

Aurea prima ſata eſt ætas, quæ vindice nullo,
Sponte ſua, ſine lege fidem rectúmque colebat.
Pœna metúsque aberant; nec vincla minacia collo
Ære ligabantur; nec ſupplex turba timebat
Judicis ora ſui: ſed erant ſine Judice tuti.
Nondum cæſa ſuis, peregrinum ut viſeret orbem,
Montibus in liquidas pinus deſcenderat undas:
Nulláque mortales præter ſua littora norant.
Nondum præcipites cingebant oppida foſſæ:
Non tuba directi, non æris cornua flexi,
Non galeæ, non enſis erat: ſine militis uſu
Mollia ſecuræ peragebant otia gentes.
Ipſa quoque immunis raſtróque intacta, nec nullis
Saucia vulneribus, per ſe dabat omnia tellus.
Contentique cibis nullo cogente creatis,
Arbuteos fœtus, montanáque fraga legebant,
Cornáque, & in duris hærentia mora rubetis;
Et quæ deciderant patulâ Jovis arbore glandes.
Ver erat æternum, placidique tepentibus auris
Mulcebant Zephyri natos ſine ſemine flores.
Mox etiam fruges tellus inarata ferebat:
Nec renovatus ager gravidis carebat ariſtis.
Flumina jam lactis, jam Flumina Nectaris ibant:
Flavaque de viridi ſtillabant ilice mella.
Poſtquam Saturno tenebroſa in Tartara miſſo,
Sub Jove mundus erat ſubiitque Argentea proles,
Auro deterior, fulvo pretioſior ære:
Jupiter antiqui contraxit tempora Veris,
Perque Hiemes, Æſtúsque, & inæquales Autumnos,
Et breve Ver, ſpatiis exegit quatuor anuum.

Tum

Tum primùm ſiccis aër fervoribus æſtus
Canduit, & ventis glacies adſtricta pependit.
Tum primum ſubiere domos, domus antra fuerunt:
Et denſi frutices, & junctæ cortice virgæ.
Semina tum primùm Cerealibus addita ſulcis
Obruta ſunt, preſſique jugo gemuére juvenci.

Tertia poſt illam ſucceſſit Athenea proles,
Sævior ingeniis, & ad horrida promptior arma,
Nec ſcelerata tamen --- --- --- --- ---
--- --- --- --- De duro eſt ultima ferro.
Protinus irrupit venæ pejoris in ævum
Omne nefas: fugêre pudor, verúmque, fidésque:
In quorum ſubiêre locum fraudésque, dolíque,
Inſidiæque, & vis, & amor ſceleratus habendi.
Vela dabat ventis, nec adhuc bene noverat illos
Navita; quæque diu ſteterant in montibus altis,
Fluctibus ignotis inſultavêre carinæ;
Communémque prius, ceu lumina Solis & auræ,
Cautus humum longo ſignavit limite menſor.
Nec tantùm ſegetes, alimentáque debita dives
Poſcebatur humus, ſed itum eſt in viſcera terræ:
Quasque recondiderat, Stygiíſque admoverat umbris,
Effodiuntur opes, irritamenta malorum,
Jamque nocens ferrum, ferróque nocentius aurum
Prodierat: prodit bellum quod pugnat utroque,
Sanguineaque manu crepitantia concutit arma.
Vivitur ex rapto, non hoſpes ab hoſpite tutus,
Nec ſocer à genero, fratrum quoque gratia rara eſt,
Imminet exitio vir conjugis, ille mariti:
Lurida terribiles miſcent aconita novercæ:
Filius ante diem patrios inquirit in annos:
Victa jacet pietas: & Virgo cæde madentes
Ultima cœleſtûm terras Aſtræa reliquit.
Ovid. Lib. 1. Metamorph. Fab. 2.

ARGUMENTUM
Tertii Exempli Deſcriptionis Poëticæ.
TEMPESTAS,
Et naves Tempeſtate jactatæ ac naufragium
Ex Virgil. Lib. 1. Æneid.

EXEMPLUM.

--- --- --- --- Venti velut agmine facto,
Qua data porta, ruunt, & terras turbine perflant,
Incubuêre mari, totumque à ſedibus imis
Unà Eurúsque Notúsque ruunt, crebérque procellis
Africus, & vaſtos volvunt ad littora fluctus.
Inſequitur clamórque virûm, ſtridórque rudentûm.
Eripiunt ſubitò nubes cœlúmque diémque
Teucrorum ex oculis: ponto nox incubat atra,
Intonuêre poli, & crebris micat ignibus æther,
Præſentémque viris intentant omnia mortem,
Exemplo Æneæ ſolvuntur frigore membra:
Ingemit, & duplices tendens ad ſidera palmas,
Talia voce refert. O terque quaterque beati,
Queis ante ora patrum, Trojæ ſua mœnibus altis,
Contigit oppetere: O Danaûm fortiſſime gentis
Tydide, méne Iliacis occumbere campis
Non potuiſſe, tuâque animam hanc effundere dextrâ?
Sævus ubi Æacidæ telo jacet Hector, ubi ingens
Sarpedon; ubi tot Simois correpta ſub undis
Scuta virûm, galeasque, & fortia pectora volvit.
Talia jactanti ſtridens Aquilone procella,
Velum adverſa ferit fluctúsque ad ſidera tollit.
Franguntur remi, tum prora avertit, & undis
Dat latus: inſequitur cumulo præruptus aquæ Mons,
Hî ſummo in fluctu pendent; his unda dehiſcens
Terram inter fluctus aperit: furit æſtus arenis,
Tres Notus abreptas in ſaxa latentia torquet.
(Saxa vocant Itali, mediis quæ in fluctibus aras,
Dorſum immane mari ſummo) tres Eurus ab alto

In brevia & Syrtes urget (miſerabile viſu)
Illiditque vadis: atque aggere cingit arenæ.
Unam, quæ Lycios, fidúmque vehebat Orontem,
Ipſius ante oculos ingens à vertice pontus
In puppim ferit, excutitur: pronúsque Magiſter
Volvitur in caput: aſt illam ter fluctus ibidem
Torquet agens circùm, & rapidus vorat æquore vortex,
Apparent rari nantes in gurgite vaſto:
Arma virum tabulæque, & Troja gaza per undas,
Jam validam Ilionei navem, jam fortis Achatæ,
Et quâ vectus Abas, & quâ grandævus Alethes,
Vicit hiems, laxis laterum compagibus omnes
Accipiunt inimicum imbrem, rimisque fatiſcunt.

DESCRIPTIO ALIA IN EODEM Argumento.

TEMPESTAS,

Et navis Tempeſtate jactatæ Naufragium.

Ex Ovidii Lib. 11. Metamorph.

EXEMPLUM.

Portibus exierant, & moverat aura rudentes;
Obvertit lateri pendentes navita remos,
Cornuáque in ſummâ locat arbore, rotáque malo
Carbaſa deducit, venientésque accipit auras.
Aut minùs aut certè medium non amplius æquor
Puppe ſecabatur, longéque erat utraque tellus.
Cùm mare ſub noctem tumidis albeſcere cœpit
Fluctibus, & præceps ſpirara valentiùs Eurus,
Ardua jam dudum demittite cornua, rector
Clamat, & antennis totum ſubnectite velum,
Hic jubet, impediunt adverſæ juſſa procellæ:
Nec ſinit audiri vocem fragor æquoris ullam,
Sponte tamen properant alii ſubducere remos,
Pars munire latus, pars ventis vela negare,

Egerit hîc fluctus, æquorque refundit in æquor:
Hîc rapit antennas, quæ dum ſine lege geruntur,
Aſpera creſcit hyems, omnique à parte feroces
Bella gerunt venti, fretaque indignantia miſcent.
Ipſe pavet; nec ſe, quis ſit ſtatus, ipſe fatetur
Scire ratis rector; nec quid jubeatve velitve.
Tanta mali moles, tantóque potentior arte eſt.
Quippe ſonant clamore viri, ſtridore rudentes,
Undarum incurſu gravis unda, tonitribus æther.
Fluctibus erigitur, cœlúmque æquare videtur
Pontus, & inductas aſpergine tangere nubes:
Et modo cum fulvas ex imo vertit arenas,
Concolor eſt illis, Stygiâ modò nigrior undâ:
Sternitur interdum ſpumíſque ſonantibus albet,
Ipſa quoque his agitur vicibus Trachynia puppis,
Et nunc ſublimi veluti de vertice montes
Deſpicere in valles, imúmque Acheronta videtur;
Nunc ubi demiſſum curvum circumſtetit æquor,
Suſpicere inferno ſummum de gurgite cœlum.
Sæpe dat ingentem fluctu latus icta fragorem.
Nec levius pulſata ſonat, quàm ferreus olim
Cùm laceras aries, balliſtave, concutit arces.
Utque ſolènt, ſumptis in curſu viribus, ire
Pectore in arma feri, protentáque tela, leones:
Sic ubi ſe ventis commiſerat unda cohortis,
Ibat in arma ratis; multóque erat altior illis.
Jamque labant cunei, ſpoliataque tegmine ceræ
Rima patet, præbetque viam lethalibus undis.
Ecce cadunt largi reſolutis nubibus imbres,
Inque fretum credas totum deſcendere cœlum,
Inque plagas cœli tumefactum ſcandere pontum.
Vela madent nimbis, & cum cœleſtibus undis
Æquoreæ miſcentur aquæ: caret ignibus æther;
Cæcaque nox premitur tenebris hiemiſque ſuiſque.
Diſcutiunt tamen has, præbentque micantia lumen
Fulmina fulmineis ardeſcunt ignibus undæ.
Dat quoque jam ſaltus intrà cava texta carinæ
Fluctus, & ut miles numero præſtantior omni,
Cum ſæpe aſſilit devenſæ mœnibus urbis,

Spe potitur tandem, laudiſque accenſus amore,
Inter mille viros murum tamen occupat unus;
Sic ubi pulſârunt celſi latera ardua fluctus,
Vaſtiùs inſurgens decimæ ruit impetus undæ;
Nec priùs abſiſtit feſſam oppugnare carinam,
Quàm velut inceptæ deſcendat mœnia navis.
Pars igitur tentabat adhuc invadere pinum,
Pars maris intus erat, trepidantque haud ſegnius omnes,
Quàm ſolet urbs aliis murum fodientibus extra,
Atque aliis murum trepidare tenentibus intus
Deficit ars, animíque cadunt, totidémque videntur
Quot veniunt fluctus, ruere, atque irrumpere mortes.
Non tenet hic lacrymas: ſtupet hic: vocat ille beatos
Funera quos maneant: hic votis numen adorat;
Brachiáque ad cœlum, quod non videt, irrita tollens,
Poſcit opem: ſubeunt illi fraterque, parenſque
Huic cum pignoribus domus, & quod cuique relictum eſt,
Halcyone Ceyca movet; Ceycis in ore
Nulla niſi Halcyone eſt, & cùm deſideret unam,
Gaudet abeſſe tamen; patriæ quoque vellet ad oras
Reſpicere inque domum ſupremos vertere vultus,
Verum ubi ſit, neſcit; tantâ vertigine pontus
Fervet, & inductâ piceis è nubibus umbrâ
Omne latet cœlum; duplicatáque mortis imago eſt.
Frangitur incurſu nimboſi turbinis arbor,
Frangitur & regimen; ſpoliíſque animoſa ſuperſtes
Unda velut victrix, ſinuatáque deſpicit undas.
Nec levius quam ſi quis Athon Pindúmque revulſos
Sede ſuâ, totos in apertum everteret æquor;
Præcipitata cadit: pariterque & pondere & ictu
Mergit in ima ratem; cum quâ pars magna virorum
Gurgite preſſa gravi, neque in aëra reddita, fato
Functa ſuo eſt. Alii patres & membra carinæ
Trunca tenent: tenet ipſe manu, quâ ſceptra ſolebat,
Fragmina navigii Ceyx: ſocerúmque, patrémque
Invocat (heu) fruſtra; ſed plurima nantis in ore
Halcyone conjux, illam meminítque refértque:
Illius ante oculos ut agant ſua corpora fluctus
Optat exanimis manibus tumuletur amicis.

Dum natat, abſentm, quoties ſinit hiſcere fluctus,
Nominat Halcyonem, ipſiſque immurmurat undis.
Ecce ſuper medios fluctus niger arcus aquarum
Frangitur, & ruptâ merſum caput obruit undâ.

* *Id eſt, Æolum patrem Halcyones, quam Ceyx uxorem duxerat, & Luciferum ipſius Ceycis patrem, quam ob cauſam Ceyx ab Ovidio alibi vocatur* Sidereus conjux.

ARGUMENTUM
Quarti Exempli Deſcriptionis Poëticæ.
VESONTIONIS ET DOLÆ Ultima oppugnatio & expugnatio: ubi diernæ urbium obſidionis forma deſcribitur.

EXEMPLUM.

Protinus, ad nutum Regis, ſub ſigna cohortes
Confluxére: ruunt peditúmque, equitúmque manipli.
Quadrupedum pulſu tellus concuſſa tremiſcit.
Armorum ſtrepitu horrifico, & rumore minaci
Belga pavet; trepidat Batavus, jam fulmina Magni
Belligera haud pridem LODOICI expertus uterque.
Sequanicos tamen hæc ſpectant; quos abnuit audax
Heſperius belli immunes partem inter utrámque
Degere: ſed multô ſtabit fiducia Ibero.
Regali ſe primùm offert ſeges ampla labori,
Urbs antiqua, opibus pollens, atque arce ſuperba;
Chryſopolin veteres dixêre: Veſuntio deinceps
Dicta tulit nomen: lento quam gurgite Dubis
Hinc atque hinc cingens, interſecat, ac geminus mons
Parte ex adverſa, celſo velut aggere claudit.
Præſidium accedit numeroſum, & nomine clarus,
Sanguinéque, & geſtis Princeps, qui ſe intulit urbi
Obſeſſæ, turmis ſpes ut civilibus addat

Ingen-

Ingentes, Ducis adventu, validiſque catervis
Auſtraſii, quem belli inſignem reddidit uſus,
Ætáſque, & nullis virtus infracta periclis.
Quin etiam adverſis cœlum, atque elementa putares
Conſpirâſſe armis; tantus ſe nubibus imber
In caſtra effundit, vallúmque, operúmque labores
Diluvie immiſſâ tardat, tractúsque viarum
Impedit humore undantes, cœnóque tenaci.
At magis Herois virtutem obſtacula tanta
Extimulant, Gallósque Duces, quos lumina Regis
Exemplúmque ingens animat, victoriáque iſtis
Certa ſub auſpiciis. Hoſtes, licèt uſque feroces,
His ſuperâſſe parum eſt; juvat ipſa elementa, Notósque
Vincere nimboſos, & fœtas imbribus auras.
Queis ceſſere ignes Trajecti ad mœnia nuper,
Impete dum rapido erumbunt fornacibus imis;
Saxáque, Seminecéſque viros jaculantur in altum;
Humentéſne Auſtros metuant pluviáſque ſequentes?
Jam præmiſſus eques ſe circumfuderat urbi,
Ac ſubitò inſiliens, aditus præcluſerat omnes;
Magnanimi ille quidem ductum & vexilla ſequutus
Enguinei, hic Patris exemplum, & Mavortia facta,
Parva mora eſt. Rex ipſe, omniſque exercitus una,
Bellicáque armamenta adſunt; mox ducitur agger
Obſeſſæ ad muros urbis; foſſæque meatu
Obliquo ſenſim ſerpentes, æneáque alto
Suggeſtu tormenta tonant, & fulmine crebro
Mœnia disjiciunt, atque ardua tecta domorum.
Nil tamen his miléſque ferox, civéſque moventur
Intrepidi: inſtigant fictis rumoribus iras.
Scilicet auctores varii, dum extrema minari
Francigenas ſuadent, & vincla immania victis
Attollunt animos alii, ſpe jámque propinqui
Auxilii firmant; multo nec milite Gallos
Invaſiſſe urbem; nec Regem adſiſtere caſtris.
Multáque præterea fictorum oracula vatum
Addunt falſiloqui, quæ tutam ex hoſtibus urbem,
Victricémque ferant: avidas mendacibus aures
Et mentes dictis præbet variabile vulgus.

At

At mox præſentem proprio diſcrimine Regem
Senſère attoniti, ingentem traxiſſe ruinam
Mœnia dum cernunt; & ceptæ ex aggere molis
Lunatæ, aſſultúmque urbi excidiumque parari.
Nempe indefeſſus ſtudio noctesque, diesque,
Incumbit Rex ipſe operi, ſpretisque periclis
Ordinat aggreſſúsque modum, obſidiique laborus.
Dúmque alii placidâ laxant, fors membra quiete,
Pervigil, intentusque animo, ſecum omnia ſolus
Digerit, & ducibus mandata ferendæ ſupremus
Exarat ipſe manu regali, & corpora poſtquam
Feſſa diu, tenui victu, ſomnóque refecit,
Sol ubi luciferâ colluſtrat lampade terras,
Rurſum operi accingit ſeſe, & circùm undique caſtra
Perluſtrans, invectus equo: quæ præcipit, urget
Obtutu, exemplóque unà, imperterritus Heros.
Hic vero, quæ ficta olim gens poſtera credat,
Teſte rata innumero conſtant: milesque, ducesque,
Præfectique operum, tormentórumque miniſtri;
Cuncta oculis hauſere, & ceu miracula, tolluut
Attoniti, trepidique ſimul diſcrimine Regis.
O quoties, propius queis fas ſpectare ſtupenda
Principis invicti facta, atque affarier ore
Liberiore Ducem auguſtum, monuêre; Caputque
Per tot adoratum populis, petiêre, periclis
Abſtineat: quæ Francigenûm modò nominis hoſtes
Magnô emiſſe velint; turmis opponere turmas
Sufficiat, ducibúsque duces; majoraque ſperans
Neu præſens caſtrisve adſit, bellumve gubernet,
Dum contra adverſos liceat decernere Reges.
Heroëm nil iſta movent; quin celſa pavendo
Exultat virtus magis, & diſcrimine creſcit.
Haud ſecus incluſus denſæ intra viſcera nucis:
Frigoréque obſeſſus gelido, vapor igneus, atri
Carceris exagitat latera, horrendoque fragore
Intonat, atque viam victrix dum flamma per auras
Ruperit, abſiliunt immenſo fulgura tractu;
Mox dirum crepitans fulmen late obvia ſternit
Se nemorum capita; aut celſæ faſtigia turris.

En

Eu ! armis tandem tremefacta Veſuntio, portas
Victori reſerat, ſimul & clementia victis
Æqua, ſinum Herois pandit, gauderque viciſſim
Parcere ſubjectis, queis vinci eſt muneris inſtar
Præcipui, & tanti Imperio ſe ſubdere Regis.
Arce tamen, natura loci quam muniit, altæ
Impoſitam rupi, fiſus Valdmentius acer,
Præfectúſque animis audax & utrúmque ſequenti:
Gloria quos ſtimulis forſan majoribus urget,
Molibus incluſi validis, obſiſtere contra
Liligeras acies ſummâ nituntur opum vi.
Fruſtra: nam ſubito excelſi de culmine montis
Tormentis *Lodoix* iratus fulminat: & jam
Mœnia terrifico titubant concuſſa fragore,
Præcipitíque cadunt cumulo, ſubitâque ruinâ
Defenſorum agmen tumulant: pavor undique cingit
Turbidus obſeſſos, atque effera mortis imago.
Jam ſigna evexit vicinæ in vertice molis
Victor ovans Gallus; jam disjectæ imminet arci,
Excidium & ſtragem intentans, ni dedere ſeſe
Ocyùs accelerent victi, portáſque recludant.
Ter quinos igitur dum ſummo evectus Olympo
Sol orbes peragit, *Ludovix* (mirabile dictu!)
Arcis inacceſſæ moles, urbemque potentem
Sequanicos, cúmque Hiſpanis, elementa ſubegit.
Nec tamen hic finis, magnorum aut meta laborum,
Quin alia ex aliis Palmæ, celeréſque triumphi
Irrequietum Heroa vocant. Famoſa, feroxque
Dola, Veſuntino, accedit, nil territa caſu,
Victricéſque audet turmas; Regémque tropæis
Tot celebrem, rurſum niſu irritare ſuperbo.
Nempe ſuis fidit, quæ propugnacula jam nunc
Surrexêre ſolo; numeroſo fidit & acri
Milite defenſa, & Præfecti fortibus auſis;
Martia quem virtus, generoſo & ſtemmate clarum
Spinolidûm genus extollit; tela ille, mináſque
Suſtinet immotus primùm, reſponſaque Regi
Se digna, atque atavis mandat, queis nobilis ita
Exarſi *Lodoico*, & magno in pectore fervet.

Ilicet.

Illicet urbs premitur pugnaci cincta coronâ;
Jámque prope ad muros ſinuoſo tramite foſſa
Ducitur; Interea roboant ex aggere celſo
Tormenta; & turres repetito, fulminis inſtar,
Diſploſo quatiunt, tectisve incendia miſcent.
Jam Galli, vallo avulſo, ſuccedere ad arcem;
Jam molem ſuperare altam; jam irrumpere certant.
Urbis in aſſultum, ni mox denſo agmine miles
Irruat Heſperius, Gallúmque exturbet; ab alto
Dum pluit in capita inſtantûm plumbi ignea grando,
Saxàque, & è ſummis effuſa incendia muris.
Exoritur cædes ingens: atque efferа pugna
Hinc atque hinc: quales ſi quando in prælia tauri,
Quos furiis incendit amor, Libycive leones
Adverſi, inſurgunt; hi cornibus, ungúibus iſti,
Rictúque immani dum certant, undique fuſo
Sanguine terra madet; reſonat clamoribus æther
Horrificis, ancépsque diu victoria nutat.
Dextera ſed Regis tandem, & Mavortius ardor
Ex ore auguſto erumpens, formidine ſternit
Sequanicos, Francíſque novas in pectore flammas
Suſcitat, in prædam arrectis palmasque propinquas.
Namque ubi jam muri labes, vaſtasque ruinas
Dolani cernunt cives, victoris amorem
Prenſant ſolliciti, & clementes Principis iras.
Nec te ſupplicibus durum, Rex optime, præbes,
Quem pietas, quem mollit amor; neque vincere certas
Hoſtis in exitium. Quas ergo Veſontio leges
Accepit, nunc Dola ſubit: Gnatóque, Patríque
Subdita, Gallorum imperio ſe denique reddit.

Ita P. Johannes Perigaud. cujus elegantiſſimæ Deſcriptioni, aliam non diſparis elegantiæ ab eodem authore conſcriptam, ſimili in Argumento, Deſcriptionem ſubjicio: quâ Trajecti ad Moſam oppugnati & expugnanti forma proponitur! ac Ludovici Decimi Quarti, Francorum Regis, bellica in eâ expeditione virtus Poëticis coloribus adumbratur.

ARGU-

ARGUMENTUM
TRAJECTUM AD MOSAM
A Ludovico XIV. Francorum Rege oppugnatum, & expugnatum.

EXEMPLUM.

Belligeris tandem cœptis, haud talibus impar
Auſpiciis, Urbs eligitur, quam gurgite vaſto
Obvallat, gemináſque Moſa interlabitur arces
Trajecti, Witique, & juncto ponte revincit.
Ars utramque, diu inſudans, munimine cinxit
Multiplici cœlóque inſudans undique moles
Educens, fodiénſque imâ tellure latentes
Furnorum anfractus, contra præmuniit omnes
Aſſultus, tutùmque & inexpugnabile vallum.
Accedit vis præſidii numeroſa, virûmque
Delectu inſignis; tormenta immania muris
Aggeribúſque impoſta; accedit plurima rerum,
Copia, quas hominum, vel belli poſtulat uſus.
Præcipuè Præfectus adeſt, acérque feróxque
Atque animi fidens, & multâ callidus arte,
Lethum etiam pulchrâ certus pro laude paciſci.
At Regem contra Invictum quid bellica proſit
Machina? quid miles? quid propugnacula, & aſtus
Militiæ audacéſve animi? Cui militat æther,
Et cum Juſtitiâ Pietas; quem Martius ardor
Impavidum per tela rapit; Prudentia frænat.
Vivida vis animi, vegetóque in corpore robur
Dat vigilem curis, indefeſſúmque laborum.
Dux ipſe ingentis cœpti, Bellum ipſe gubernat,
Diſcriménque ſubit, Caſtris ſeque arduus infert,
Jam nutu victor; jam vultu fulminat, hoſtéſque
Exanimat trepidos tanti præſentia Regis,
Continuo præmiſſus eques; pars arcta viarum
Occupat; aut campis ſeſe diffundit apertis,
Urbem intercludens aditu; mora parva, citato
Agmine ſubſequitur *Ludovicum* exercitus omnis;

Spéque

Spéque alacris multâ fremit: inſuetaque triumphat
Lætitiâ, ſpoliis ceu jam potiatur opimis.
Nec ſpes vana viros fallit; Victoria certa eſt
Auſpiciis, Rex magne, tuis; annóque priori,
Acta, fidem ſupra hiſtoriæ, læta omnia firmant.
Vix in conſpectu Trajecti conſtitit Heros
Gallicus ipſe invectus equo circùm omnia luſtrat
Deſignátque locum caſtris, vallóque coronat,
Intentans urbi excidium, ni juſſa faceſſat
Protinus, atque ultro portas & mœnia pandant.
Nec mora, multiplici tormenta ex aggere ſurgunt,
Fulminéque aſſiduo turres atque ardua tecta
Diſiiciunt, gelidâ trepidant formidine cives
Incluſi caveis, ac jam ſe dedere certent
Victori, ni Præfectus, miléſque reſiſtat,
Foſſa quoque obliquo longè producta meatu
Confeſtim ad muros & munimenta cavatum
Sternit iter turmis, valeant quò tutiùs Urbem
Impetere, hoſtiléſque unà ſuccedere ad arces,
Rex opera, aſſultus, ſtationes, bellica cuncta
Ordinat; inſomnes equitans noctéſque diéſque
Ducit, inexpletum inſiſtens ſtudio atque labori;
Mirandum dictu, vix & quod poſtera credant
Sæcula! totam unus, Belli ſub pondere, molem
Suſtinet, & curas animum partitur in omnes,
Quin etiam ipſe ſui, Majeſtatiſque verendæ
Oblitus, caput auguſtum in diſcrimina mille
Circumfert; cunctóſque timor quando anxius urget;
Intrepidus pro ſe præſtat; ſolúſque ſaluti
Bellantûm incumbens, inter Regémque Patrémque
Diviſus, regit imperio, & tutatur amore.
Attamen, O! pavitans fundit quas Gallia voces
Audi, magne Heros. Quo te Mavortia virtus
Abripit heu! noſtri immemorem? Te nixa ſalus ſtat
Gentis Liligeræ; tecum iſta pericula Belli
Tot ſubeunt populi, quot tu ditione coërces
Felici, immenſâ. Non eſt Hollandia tanti,
Ut pro te, *Lodoice*, tremam; diſcriminéque iſto
Nil emiſſe velim. Vile eſt, quodcúmque paraſti

Hacte-

Hactenus hoc pretio; quamquam Moſa lenibus undis
Atque Iſara, Vahaliſque, atqua alto gurgite Rhenus
Sub mea jura fluant; *Ludoix* mihi ſufficit unus
Incolumis: quem ſi diuturnum præſtet Olympus,
Imperium extremos ſperem producere ad Indos,
Ac Bizantinis imponere Lilia muris,
Dejectaque, Crucis Labarum ſuſtollere, Lunâ;
In ſpeciem juſtas quamvis compeſce querelas
Heroum fœcunda parens, depone timorem
Sollicitum; in medio ſtat Rex diſcrimine tutus,
Securum quem cauſa facit, dum militat Aſtris,
Atque Aris, Batavûm quas dira evertit Erinnys;
Atque furor gemino dudum bacchatus in orbe;
Dum Cœlo pugnat *Lodoix*, huic Aſtra viciſſim
Invigilant, Clypeoque tegunt centumplice Divi;
Exhorrent hoſtes trepidi, fiducia contrà
Francigenas animat; non illos mœnia tutos
Efficiunt, turreſque, & propugnacula; at iſtos
Intrepidos Regis conſpectus præſtat & ingens
Exempli vis inſueti. Jam tecta ſovere
Coguntur Batavi, aut trans munimenta latere:
Nec medio deinceps audent ſe credere campo;
Cominus & conferre manus, jam ſæpe fugati,
Ferrumque experti Gallorum, animoſve viriles.
Ollis mente tamen fixum defendere muros,
Nilque intentatum Bello, nil linquere inauſum;
Atque extrema pati. Cunctos hortatibus implet
Farrajus, cui cura Urbis comiſſa tuendæ,
Intentatque necem ignavis, quos prælia terrent.
Nec minus in varios uſus, quæ bellica proſint
Inſtrumenta, parat; longa experientia doctum
Nam fecit, Bellique inſignem reddidit arte.
Hic ergo fœtas nitrato pulvere glandes,
Punica queis nomen vulgatum malâ dedêre;
Ingenti numero accumulat, quibus aggere ducto
Nitentes; valloque avulſo; invadere foſſas,
Impetat, & crebro ſubeuntes fulmine mactet.
Igne idem Grajo ſuffartas apparat ollas;
Deſuper è ſummis ut fuſa incendia muris,

Et pice ſulphuréque ardentíque bitumine, jactet.
At vero quâ parte hoſtes ſuccedére muris
Velle putat, deſoſſâ altè tellure cavernas
Pulvere ſulphureo complet, quò poſſit in auras
Excutere, aut vaſtâ armatos tumulare ruinâ.
Non tamen hæc Regem tot tentamenta retardant,
Belligeráſve acies; quin ipſa pericula fortes
Sollicitant animos, laudíſque accenſa cupido,
Nec labor eſt reperire viros, qui invadere vallum
Hoſtile incipiant, vel muri irrumpere labem.
Pelleréve obſeſſos lunatæ ex aggere molis.
Delectus Regem torquet, dum clara juventus
Sanguinèque & factis, ambit diſcrimina pugnæ
Certatim, precibúſque etiam mercatur honorem
Venalem pretio vitæ, vel vulnere multo,
Hortatu nec opus magno eſt properantibus ultro
Sortis in eximiæ ſtudium; ſat lumina Regis
Dant animi; ſat felices quoſcúmque probârit
Donatos ſat ſe reputant; ſuffragia tanta
Immortale decus pariunt, quippe unica virtus
Hæc meruiſſe poteſt: *Lodoico* illudere quiſquam
Num valeat, qui cum à puero Prudentia crevit:
Jam portas inter geminas, quarum altera Tungros,
Altera Bruxellam ſpectat, vaſto aggere moles
Procurrens Lunæ in formam, disjecta ruinam
Traxerat ingentem, latóque patebat hiatu.
Huc miſſi tanto è numero lectiſſima pubes,
Quos dudum Rex ipſe uſus formavit in omnes
Militiæ, validæque equitum peritúmque cohortes
Approperant, toto ſpirantes pectore Martem.
His te Ductorem ſors felix, & tua virtus
Jam pridem Regi variis perſpecta periclis
Fulladæ dedit, cui prodiga ſanguinis altâ
Nobilitas à ſtirpe venit, magnúſque Magiſter
Defenſâ urbe Rhodi inſignis, tot millia contra
Turcigenûm invictum claro cum nomine robur
Tranſmiſit, non degeneri
Proh! quantus generoſam aciem in certamina fervor
Præcipitem rapit! Incaſſum muralia lato

Ore

Ore vomunt flammas, tormenta, ac plumbea grando
Depluit in capita inſtantum, ſubſtructáque fornax
Sulphureas aperit fauces, multóque fragore
Intonat, & latè glomerata incendia ſpargit.
Propugnantûm agmen fruſtra prætendere ſepem
Hirſutam denſo mucrone, haſtáſque, ſariſſáſque
Objiciens aditum tentantibus; illicèt iſti
Acriur inſiliunt, & ſtricto cominus enſe
A dextrâ lævâque ruunt, cædúntque, fugántque
Semianimes, vallúmque tenent, & Gallica ſigna
Aggeribus ſummis imponunt omine fauſto.
Non etiam hic finis pugnæ Martíſque laborum;
Quin etiam hic alia ex aliis diſcrimina ſurgunt.
Namque ubi collegêre animos, hortante Tribuno,
Obſeſſi rurſum erumpunt, quos ira, pudórque
Extimulant fuſo maculam delere cruore.
Dum ſuccenſa imis latebris furit ignea peſtis,
Subruit & molem inſeſſam, volvitque ſub auras
Saxáque, ſeminecesque viros? denſo agmine facto,
Invadunt caſu attonitos; deque aggere turbant.
At non ſtare diu licuit, vallóque potiri:
Extemplo quippe accurens Monmutius Heros,
Regali ille ſatu clarus, ſed clarior armis,
Anglorúmque inſigne decus; per tela per ignes
Irruit hoſtilem in cuneum mox fulminis inſtar,
Nube interciſſa ſi fors rapido impete ſummos
Aut montes furit, eductáſve ad nubila turres,
Gallica nec ſe nobilitas certamine vinci
Paſſa gradum ſubito accelerat, ſequiturque repente
Lecta Manu Regis nutu, fortiſſima bello
Pectora, continuo hinc atque hinc pugna aſpera fervet.
Haud ſecus adverſo confligunt agmine venti,
Auſtrinâ de parte Notus, tumidusque procellis
Africus: Arctoo Boreas glacialis ab axe,
Eurusque, Caurusque & tempeſtate ſonora
Vel perflant nemora ac montes, vel gurgite ab imo
Convellunt maria, & fluctus ad ſidera tollunt,
Præfractis utrinque animis pugnatur, & ingens
Exoritur cædesque Ducum, fremitusque ruentum.

Inprimiſque cadunt, ſtimulos queis bellica virtus
Admovet. Hos inter, longo memorabilis ævo
Artagnane jaces; ſed non abjecta jacebit
Gloria perpetuis longè digniſſima Faſtis.
Vos quoque felices, pulchro queis funere fungi
Laudis amor, patriæque dedit præclara virûm ſtirps;
Queis dono Superum fas eſt viciſſe cadendo:
Non ea mors; ſed pompa fuit! majusve trophæis
Omnibus, alta urbis ſubter munimia victæ
Oppetere, atque hoſtes eodem tumulare Sepulchro.
Haud potis eſt ultra virtuti obſiſtere, & armis
Francigenûm Hollandus miles, retroque coactus
Cedere, vallum iterum victori, arcémque reliquit,
Nec minus interea tormentis mœnia dudum
Quaſſa labant, cumulóque ruunt, ac pervia Regi
Clauſtra, ſinumque urbis pandunt, vaſtáque ruinâ
Heroëm accerſunt, cui cœlum & ſidera pugnant.
Tum varii gliſcunt motûs, timor anxius urget
Præfectum, Batavosque Duces, & pectora vulgi,
Calvini infecit virus quæcunque malignum.
Aſt contra Romana fides, quibus unica cordi eſt
Sinceræ pietatis amor; dulcedine mira
Perfuſi exultant, tot jam per luſtra cupitam
Adveniſſe diem, qua duris libera vinclis
Relligio immanis ſectæ, reſpiret; & aris
Fas contra ereptis, valeat, templisque potiri.
Nec dilata diu ſpes vota precesque piorum
Suſtinet, incaſſumque minas Ferrajus inanes
Jactat, & imbelles vocat in certamina turmas.
Nàmque ubi murorum disjecta repagula cernunt
Cives attoniti, Galloſque inſidere vallo
Et foſſis, aſſultum urbi, exitiumque minari;
Agmine conveniunt crebro ad Prætoria, & urgent
Ingenti clamore Ducem, precibúsque minisque
Legatos ſubito ad Regem, pacísque ſequeſtres
Deſtinet, ut veniam exorent, ac legibus æquis
Séque, urbemque ſuam dedant ſub Gallica jura.
Rex invicte, ſatis jam ſe Mavortia virtus
Hactenus exeruit; mitis Clementia partes

In-

Impleat, & blandum terrori adjungat amorem.
Tu quoque, mutato Bellatrix Muſa tenore,
Lenior incedas, victori & tempora circum
Lauris paciferæ ramos innectito Olivæ.
Et Trajectini portasque & corda recludunt
Gratantes, *Lodoice*, tibi; ne gaudia differ
Feſtivámque diem, ac plauſûs nunc urbis amicæ
Excipere accelera, faciemque oſtende benignam.
Ipſi te, nec vana putes, ex æthere ſummo
Cœlicolæ invitant radianti & Petrus ab arce,
Auguſti cœtûs Princeps, cui credita clavis.
Empyrei ac lethi ſocius, conſórsque coronæ.
Paulus ad auguſtos accit læto ore triumphos
Ex quo námque Lacûs monſtrum fatale Lemani
Indixit bellum Superis ſubvertit & aras,
Et ſacros ſparſit cineres, aut tradidit igni
Infandum! portas Trajecti pandere Olympi
Claviger aſſuevit Fidei cultoribus almæ.
Tarſigena infidos gladio terrere minaci.
Jam tandem Hollandus decedere miles ab urbe
Cogitur, ut pactum; tamen hæc ſolatia victis
Largiri viſum eſt, ut paſſis agmina ſignis
Incedant, cantúque tubæ, & cava tympana pulſu
Feſtivo reſonent, ut quiſque accinctus in armis
Fulgeat, & vel ſic proſtratus gaudeat hoſtis
Sorte ſuâ, atque unà Regem metuátque, colátque,
Hunc ubi conſpexit ferróque, auróque coruſcum
Deſiliens Ferrajus equo, pronúsque ſalutans,
Victori Auguſto juſtos perſolvit honores.
Non me infelicem, penitus, vel clade putarim
Perculſum indecori; REX INCLYTE; parsque triumphi
Eſt aliqua, Herois tanti cecidiſſe ſub armis
Hoc uno ſortem incuſo, quod me tibi ſiſtat
Invitum quamvis hoſtem, caſtriſque mereri
Non liceat, REX MAGNE, tuis. Hæc inſit, & oris
Majeſtatem altam dum ſuſcipit, ipſe viciſſim
Præmia digna refert animi, vigilúmque laborum,
Virtutis meritum decus, & præconia Regis.
At Trajectinos urget ſuccenſa cupido;

Impatiénsque moræ, mox intra mœnia clarum
Victorem excipere, & vultus atque ora tueri
Principis, ac placidum cum Majeſtate decorem.
Poſtquam fauſta dies fulſit, læto agmine cives
Erumpunt portis; pars circumfuſa plateas
Occupat, hi tabulata premunt bifores ve feneſtras,
Hi ſummis pendent tectis; per compita feſtus
It clamor, feſtis reſonant & vocibus ædes.
Pariſios credas huc transmigraſſe, Moſæque
Sequanicum illabi flumen; ſic ſe undique ſignis
Prodit lætitia, ac modo nil hoſtile, feróxque
Urbs præfert, nec ſe victam meminitve dolétve.

In hac obſidionis, & expugnatæ Urbis Deſcriptione, nihil vel uberius ad rerum copiam, vel ornatius ad elegantiam, vel dignius ad Poeſeos majeſtatem, in hoc argumento excogitari, ſcribique potuit. Habes fere omnia, ſtudioſe & amice Lector, quæ ad hodiernarum Obſidionum modum, ordinem, ac formam pertinent. En! modo antiquarum Obſidionum duas ſubjicio Deſcriptiones, quas tibi non ingratas fore exiſtimo, alteram ex Lucano deſumptam, excerptam alteram ex Virgilio.

ARGUMENTUM
Sexti Exempli Deſcriptionis Poëticæ.
Maſſilienſis Urbis Oſidio à Cæſare, Et navalis pugna Cæſarianos inter & Maſſilienſes,
Ex Lucani Pharſaliæ Lib. 3.

EXEMPLUM.

Cæſar Maſſiliam accedit, Caſtris, ad urbis obſidionem, locum deligit; caſtrenſes deſignat urbi cingendæ foſſas; ad varios obſidionis uſus ligna quærit.

--- --- --- --- Sic poſtquam fatus, ad urbem
Haud trepidam convertit iter: tum mœnia clauſa
Conſpicit; & denſa juvenum vallata coronâ.

Haud

Haud procul à muris tumulus ſurgentis in altum
Telluris, parvum diffuſo vertice campum
Explicat: hæc patiens longo munimine cingi
Viſa Duci rupes, rutiſque aptiſſima caſtris.
Proxima pars urbis celſam conſurgit in arcem
Par tumulo, mediiſque ſedent convallibus arva,
Tunc res immenſo placuit ſtatura labore,
Aggere diverſos vaſto committere colles.
Sed prius ut totam, quâ terrâ cingitur, urbem
Clauderet, â ſummis perduxit ad æquora caſtris
Longum Cæſar opus, fontéſque & pabula campi
Amplexus foſsâ, denſas tollentia pinnas
Ceſpitibus, crudâque extruxit brachia terrâ.
Jam ſatis hoc Grajæ memorandum contigit urbi,
Æternúmque decus, quod non impulſa, nec ipſo
Strata metu, tenuit flagrantis in omnia belli
Præcipitem curſum: raptíſque à Cæſare cunctis
Vincitur una mora; quantum eſt, quod fata tenentur!
Quòdque virum toti properans imponere mundo
Hos perdit Fortuna dies! tunc omnia latè
Procumbunt nemora, & ſpoliantur robore ſylvæ.
Ut cum terra levis mediam virgultaque molem
Suſpendant, ſtructâ laterum compage ligatam
Arctet humum, preſſus ne cedat turribus agger.

Diſcribitur lucus Maſſiliæ vicinus, Diis ſacer, in quo Sacerdotes humano ſanguine litabant crudelibus hujuſce luci Numinibus.

Lucus erat longo nunquam violatus ab ævo,
Obſcurum cingens connexis aëra ramis
Et gelidas alte ſummotis Solibus umbras.
Hunc non ruricolæ Panes, nemorúmque potentes
Sylvani, Nymphæque tenent, ſed barbara ritu
Sacra Deûm, ſtructæ ſacris feralibus aræ,
Omnis & humanis luſtrata cruoribus arbos.
Si qua fidem meruit Superis mirata vetuſtas,
Illis & volucres metuunt inſiſtere ramis,
Et luſtris recubare feræ: nec ventus in illas
Incubuit ſylvas, excuſſaque nubibus atris

Fulgura: non ullis frondem præbentibus auris,
Arboribus ſuus horror ineſt: cum plurima nigris
Fontibus unda cadit, ſimulacraque mœſta Deorum
Arte carent, cæſiſque extant informia truncis.
Ipſe ſitus, putrique facit iam robore pallor
Attonitos: non vulgatis ſacrata figuris
Numina ſic metuunt: tantum terroribus addit,
Quos timeant, non noſſe Deos. Jam fama ferebat,
Sæpe cavas motu terræ mugire cavernas,
Et procumbentes iterum conſurgere taxos,
Et non ardentis fulgere incendia ſylvæ.
Roboraque amplexos circumflexiſſe dracones.
Non illum cultu populi propiore frequentant,
Sed ceſſere Deis: medio cum Phœbus in axe eſt,
Aut cœlum nox atra tenet, paver ipſe ſacerdos
Acceſſus, dominumque timet deprendere luci

Cæſar ex prædictâ ſylvâ exſcindi, & aſportari ligna jubet, quantum ad bellicos obſidionis uſus ſatis eſſet.

Hanc jubet immiſſo ſylvam procumbere ferro:
Nam vicina operi, belloque intacta priori
Inter nudatos ſtabat denſiſſima montes;
Sed fortes tremuêre manus, motique verenda
Majeſtate loci: ſi robora ſacra ferirent,
In ſua credebant redituras membra ſecures.

Cæſar, non audentibus militibus ſacras, & hactenus inviolatas luci arbores ferro attingere, primus impactâ ſecuri quercum ferit: militeſque, ut idem audeant, ſuo provocat & impellit exemplo. Sternuntur arbores, & convehuntur ligna in loca munimentis bellicis deſtinata.

Implicitas magno Cæſar terrore cohortes
Ut vidit, primus raptam vibrare bipennem
Auſus, & aëriam ferro proſcindere quercum.
Effatur, merſo violata in robora ferro:
Jam ne quis veſtrum dubitet ſubvertere ſylvam,
Credite, me feciſſe nefas. Tunc paruit omnis
Imperiis non ſublato ſecura pavore
Turba, ſed expenſâ Superorum, & Cæſaris irâ,

Procum-

Procumbunt orni, nodoſa impellitur ilex
Sylváque Dodones & fluctibus aptior alnus,
Et non plebejos luctus teſtata cupreſſus,
Tunc primum poſuere comas & fronde carentes
Admiſere diem: propulſaque robore denſo
Suſtinuit ſe ſylva cadens, gemuere videntes
Gallorum Populi: muris ſed clauſa juventus
Exultat, quis enim læſos impune putaret
Eſſe Deos? ſervat multos Fortuna nocentes:
Et tantum miſeris iraſci numina poſſunt.
Utque ſatis cæſum nemoris, quæſita per agros
Plauſtra ferunt: curvóque ſoli ceſſantis aratro
Agricolæ raptis annum flevere juvencis.

Cæſare in Hiſpaniam profecto, Cæſariani, ad urgendam obſidionem ab ipſo relecti, conſtructas duas turres ligneas propius Urbi admovent, & inde in Maſſilienſium propugnacula tela vibrare incipiunt: ſed Maſſilienſium telis Romani acrius premebantur.

Dux tamen impatiens hæſuri ad mœnia Martis
Verſus ad Hiſpanas acies, extremaque mundi,
Juſſit bella geri. Stellatis axibus agger
Erigitur, geminasque æquantes mœnia turres
Accipit: hæ nullo fixerunt robore terram.
Sed per iter longum cauſa repſere latenti,
Cum tantum nutaret onus, telluris inanes
Concuſſiſſe ſinus quærentem erumpere ventum
Credidit, & muros mirata eſt ſtare juventus,
Illinc tela cadunt excelſas urbis in arces,
Sed major Grajo Romana in corpora ferro
Vis inerat; neque enim ſolis excuſſa lacertis
Lancea, ſed tenſo balliſtæ turbine rupta
Haud unum contenta latus tranſire quieſcit;
Sed pendens perque arma viam, perque oſſa relicta
Morte fugit: ſupereſt telo poſt vulnera curſus.
At ſaxum quoties ingenti ponderis ictu
Excutitur, qualis rupes, quam vertice montis
Abſcidit impulſu ventorum adjuta vetuſtas,
Frangit cuncta ruens, nec tantum corpora preſſa
Exanimat, totos cum ſanguine diſſipat artus.

Cæſariani, facta primò teſtudine muris, ad eorum oppugnationem ſe applicant: rurſus tecti vineâ, muros ariete quatiunt, ſed ſemper fruſtra.

Ut tamen hoſtiles denſâ teſtudine muros
Tecta ſubit virtus, armiſque innexa priores
Arma ferunt, galeamque extenſus protegit umbo:
Quæ prius ex longo nocuerunt miſſa receſſu
Jam poſt terga cadunt: nec Grajis flectere jactum;
Aut facilis labor eſt longinqua ad tela parati
Tormenti mutare modum: ſed pondere ſolo
Contenti, nudis evolvunt ſaxa lacertis,
Dum fuit armorum ſeries, ut grandine tecta
Innocuâ percuſſa ſonant, ſic omnia tela
Reſpuit, at poſtquam virtus incenſa virorum
Perpetuam rupit defeſſo milite cratem,
Singula continuis ceſſerunt ictibus arma,
Tunc adoperta levi procedit vinea terrâ,
Sub cujus pluteis, & tectâ fronte latentes
Moliri nunc ima parant, & vertere ferro
Mœnia: nunc aries ſuſpenſo fortior ictu
Incuſſus denſi compagem ſolvere muri
Tentat, & impoſitis unum ſubducere ſaxis.
Sed ſuper & flammis, & magnæ fragmine molis
Et ſudibus crebris, & aduſti roboris ictu
Percuſſæ cedunt crates, fruſtraque labore
Exhauſto feſſus repetit tentoria miles.

Maſſilienſes, quibus antea hoc unum erat propoſitum, illæſa ſervare urbis ſuæ mœnia, & nihil ulterius tentare; nunc infeſtis ignibus in caſtrenſes Cæſarianorum munitiones erumpunt.

Summa fuit Grajis, ſtarent ut mœnia, voti,
Ultro acies inferre parant, armiſque coruſcas
Nocturni texere faces, audaxque juventus
Erupit: non haſta viris, non lethifer arcus,
Telum flamma fuit: rapienſque incendia ventus
Per Romana tulit celeri munimina curſu.
Nec quamvis viridi luctetur robore, lentas
Ignis agit vires: tædâ ſed raptus ab omni,

Con-

Conſequitur nigri ſpatioſa volumina fumi:
Nec ſolum ſylvas, ſed ſaxa ingentia ſolvit,
Et crudæ putri fluxerunt pulvere cautes.
Procubuit, majórque jacens apparuit agger.

Cæſariani terrâ victi, maris fortunam experiri, & navali pugnâ cum Maſſilienſibus decernere ſtatuunt.

Spes victis telluris abit, placuitque profundo
Fortunam tentare mari: non robore picto
Ornatas decuit fulgens tutela carinas,
Sed rudis, & qualis procumbit montibus arbor,
Conſeritur ſtabilis navalibus area bellis.
Et jam turrigeram Bruti comitata carinam
Venerat in fluctus Rhodani cum gurgite claſſis,
Stœchados arva tenens: nec non & Graja juventus
Omne ſuum fatis voluit committere robur:
Grandævosque ſenes miſtis armavit ephebis.
Accepit non ſola viros, quæ ſtabat in undis
Claſſis, & emeritas repetunt navalibus alnos.

Utriſque navalis exercitûs ad pugnam diſpoſitio.
Ut matutinos ſpargens ſuper æquora Phœbus
Fregit aquis radios, & liber nubibus æther,
Et poſito Boreâ, pacémque tenentibus Auſtris,
Servatum bello jacuit mare; movit ab omni
Quiſque ſuam ſtatione ratem, paribúſque lacertis
Cæſaris hinc pubes, hinc Grajo remige claſſis
Tollitur: impulſæ tonſis tremuêre carinæ,
Crebraque ſublimes convellunt verbera puppes,
Cornua Romanæ claſſis, validæque triremes.
Quasque quater ſurgens exſtructi remigis ordo
Commovet, & plures quæ mergunt æquora pinus
Multiplices cinxere rates: hoc robur aperto
Oppoſitum pelago: lunatâ fronte recedunt,
Ordine contentæ gemino creviſſe liburnæ.
Celſior ac cunctis Bruti Prætoria puppis
Verberibus ſenis agitur, molémque profundo
Invehit, & ſummis longe petit æquora remis.
Ut tantum medii fuerat maris, utraque claſſis

Quod

Quod ſemel excuſſis poſſet transcurrere tonſis.
Innumeræ vaſto miſcentur in æthere voces;
Remorumque ſonus premitur clamore: nec ullæ
Audiri potuere tubæ, tum cærula verrunt,
Atque in tranſtra cadunt; & remis pectora pulſant.

Navalis pugna committitur, acriter utrinque certatur, cæduntur utraque ex parte plurimi, ingentia eduntur bellicæ virtutis facinora.

Ut primum roſtris crepuerunt obvia roſtra:
In puppim rediere rates, emiſſaque tela
Aëra texerunt, vacuúmque cadentia pontum,
Et jam diductis extendunt cornua proris,
Diverſæque rates laxatâ claſſe receptæ,
Ut quoties æſtus Zephyri que Euriſque repugnat;
Huc abeunt fluctus, illuc mare: ſic ubi puppes
Sulcato varios duxerunt gurgite tractus,
Quod tulit illa ratis remis, hæc reppulit æquor,
Sed Grajis habiles, pugnamque laceſſere pinus
Et tentare fugam, nec longo frangere gyro
Curſum, nec tarde flectenti cedere clavo,
At Romana ratis ſtabilem præbere carinam
Certior, & terræ ſimilem bellantibus uſum
Tunc in ſigniferâ reſidenti puppe magiſtro
Brutus ait, pateriſne acies errare profundo?
Artibus & certas pelagi? jam confere bellum
Phocaicis medias roſtris oppone carinas.
Paruit, obliquas & præbuit hoſtibus alnos.
Tunc quæcunque ratis tentavit robora Bruti,
Ictu victa ſuo, percuſſæ capta cohæſit.
Aſt alias manicæque ligant, teretéſque catenæ,
Seque tenent remis, tecto ſtetit æquore bellum.
Jam non excuſſis torquentur tela lacertis,
Nec longinqua cadunt jaculato vulnera ferro,
Miſcenturque manus; navali plurima bello
Enſis agit, ſtat quiſque ſuæ de robore puppis,
Pronus in adverſos ictus: multique perempti
In ratibus cecidere ſuis, cruor altus in undis
Spumat, & obducto concreſcunt ſanguine fluctus.

Et

Et quas immiſſi traxerunt vincula ferri,
Has prohibent jungi conſerta cadavera puppes.
Semianimes alii vaſtum ſubiere profundum,
Hauſéruntque ſuo permiſtum ſanguine pontum.
Hi luctantem animam lentâ cum morte trahentes,
Fractarum ſubitâ ratium periere ruina.
Irrita tela ſuas peragunt in gurgite cædes:
Et quocunque cadit fruſtrato pondere ferrum,
Exceptum mediis invenit vulnus in undis.
Phocaicis Romana ratis vallata carinis,
Robore diducto dextrum, lævumque tuetur
Æquo Marte latus: cujus dum pugnat ab altâ
Puppe Tagus, Grajumque audax apluſtre retentat,
Terga ſimul pariter miſſis & pectora telis
Transfigitur; medio concurrit pectore ferrum,
Et ſtetit; incertus flueret quo vulnere ſanguis:
Donec utrasque ſimul largus cruor expulit haſtas,
Diviſitque animam, ſparſitque in vulnera lethum.
Dirigit huc puppim miſeri quoque dextra Telonis,
Quâ nullam melius, pelago turbante carinæ
Audivêre manum: nec lux eſt notior ulli
Craſtina; ſeu Phœbum videat, ſeu cornua Lunæ;
Semper venturis componere carbaſa ventis.
Hic Latiæ roſtro compagem ruperat alni:
Pila ſed in medium venere trementia pectus,
Avertítque ratem morientis dextra magiſtri.
Dum cupit in ſociam Gyareus erumpere puppim,
Excipit immiſſum ſuſpenſa per ilia ferrum,
Affixúsque râti; telo retinente, pependit.
Stant gemini fratres, fœcundæ gloria matris;
Quos eadem variis genuerunt viſcera fatis;
Diſcrevit mors ſæva viros: unumque relictum
Agnorunt miſeri ſublato errore, parentes,
Æternis cauſam lacrymis: tenet ille dolorem
Semper & amiſſum fratrem lugentibus offert;
Quorum alter miſtis obliquo pectore remis
Auſus Romanæ Graja de puppe carinæ
Injectare manum: ſed eam gravis inſuper ictus
Amputat illa tamen nixo quo pendeat, hæſit;

Diri-

Diriguitque tenens ſtrictis immortua nervis.
Crevit in adverſis virtus: plus nobilis iræ
Truncus habet: fortíque inſtaurat prælia lævâ,
Rapturúſque ſuam procurrit in æquora dextram.
Hæc quoque cum toto manus eſt abſciſſa lacerto,
Jam clypeo, teliſque carens, non conditur imâ
Puppe: ſed expoſitus, fraternaque pectore nudo
Arma tegens, crebrâ confixus cuſpide perſtat:
Teláque multorum letho caſura ſuorum,
Emeritâ jam morte tenet: tum vulnere multo
Effugientem animam laſſos collegit in artus:
Membráque contendit toto quicunque manebat
Sanguine; & hoſtilem, defectis robore membris,
Inſiluit, ſolo nociturus pondere puppim.
Strage virûm cumulata ratis, multóque cruore
Plena, per obliquum crebros latus accipit ictus.
At poſtquam ruptis pelagus compagibus hauſit,
Ad ſummos repleta foros, deſedit in undas,
Vicinum involvens contorto vertice pontum.
Æquora diſcedunt merſâ diducta carinâ,
Inque locum puppis cecidit mare: multáque ponto
Præbuit illa dies varii miracula fati.
Ferrea dum puppis rapidos manus inferit uncos,
Afflixit Lycidam; merſus foret ille profundo,
Sed prohibent ſocii, ſuſpenſáque crura retentant.
Scinditur avulſus; nec, ſicut vulnere ſanguis
Emicuit lentus, ruptis cadit undique venis;
Diſcurſuſque animæ diverſa in membra meantis
Interceptus aquis; nullius vita perempti
Eſt tantâ dimiſſa viâ; pars ultima trunci
Tradidit in lethum vacuos vitalibus artus,
At tumidus qua pulmo jacet, qua viſcera fervent,
Hæſerunt ibi fata diu, luctatáque multum
Hac cum parte viri, vix omnia membra tulerunt.
Dum nimium pugnax unius turba carinæ
Incumbit prono lateri, vacuámque reliquit,
Qua caret hoſte, ratem; congeſto pondere puppis
Verſa, cavâ texit pelagus, nautasque carina;
Brachia nec licuit vaſto jactare profundo,

Sed

Sed clauſo periere mari, tunc unica diri
Conſpecta eſt lethi facies, cum forte natantem
Diverſæ roſtris juvenem fixere carinæ.
Diſceſſit medium tam vaſtos pectus ad ictus,
Nec prohibere valent obtritis oſſibus artus,
Quo minus æra ſonent; eliſo ventre, per ora
Ejectat ſaniem permiſtus viſcere ſanguis.
Poſtquam inhibent remis puppes, ac roſtra recedunt,
Disjectum in pelagus perfoſſo pectore corpus
Vulneribus transmiſit aquas. Pars maxima turbæ
Naufraga jactatis morti obluctata lacertis,
Puppis ad auxilium ſociæ concurrit? at illi
Robora cum vetitis prenſarent altius ulnis,
Nutaretque ratis populo peritura recepto:
Impia turba ſuper medios ferit enſe lacertos.
Brachia linquentes Grajâ pendentia puppe,
A manibus cecidere ſuis; non amplius undæ
Suſtinuere graves in ſummo gurgite truncos.
Jamque omni fuſis nudato milite telis,
Invenit arma furor; remum contorſit in hoſtem
Alter: at hi tortum validis apluſtre lacertis,
Avulſáque rotant excuſſo remige ſedes
In pugnam fregere rates; ſidentia peſſum
Corpora cæſa tenent, ſpoliántque cadavera ferro,
Multi in opes teli, jaculum, lethale revulſum
Viſceribus traxere ſuis, & vulnera læva
Oppreſſere manu, validos dum præbeat ictus
Sanguis, & hoſtilem cùm torſerit, exeat, haſtam.
Nulla tamen plures hoc edidit æquore clades,
Quàm pelago diverſa lues; nam pinguibus ignis
Affixus tædis, & tecto ſulphure vivax
Spargitur: at faciles præbere alimenta carinæ
Nunc pice, nunc liquidâ rapuere incendia cerâ,
Nec flammas ſuperant undæ: ſparsíſque per æquor
Jam ratibus, fragmenta ferus ſibi vindicat ignis,
Hic recipit fluctus, extinguat ut æquore flammas:
Hi, ne mergantur, tabulis ardentibus hærent,
Mille modus inter lethi, mors una timori eſt,
Quâ cœpere mori: nec ceſſat naufraga virtus,

Vela legunt dejecta mari, ratibusque miniſtrant;
Incertaſque manus ictu languente per undas
Exercent, nunc rara datur ſi copia ferri;
Utuntur pelago; ſævus complectitur hoſtem
Hoſtis, & implicitis gaudent ſubſiſtere membris;
Mergentéſque mori. Pugnâ fuit una illâ
Eximius Phoccus animam ſervare ſub undis
Scrutarique fretum ſi quid merſiſſet arenis;
Et nimis affixos unci convellere morſus;
Adductum quoties non ſenſerat anchora funem;
Hic ubi compreſſum penitus deduxerat hoſtem;
Victor, & incolumis ſummas remeabat in undas:
Sed ſe per vacuos credit dum ſurgere fluctus;
Puppibus occurrit, tandemque ſub æquore manſit;
Hi ſuper hoſtiles jecerunt brachia remos.
Et ratium tenuere fugam; non perdere lethum
Maxima cura fuit, multus ſua vulnera puppi
Affixit moriens; & roſtris abſtulit ictus:
Stantem ſublimi Tyrrhenum culmine proræ
Lygdamus excuſſâ Balearis tortor habenæ
Glande petens, ſolido fregit cava tempora plumbo;
Sedibus expulſi, poſtquam cruor omnia rupit
Vincula, procumbunt oculi: ſtat lumine rapto
Attonitus; mortiſque illas putat eſſe tenebras.
At poſtquam membris ſenſit conſtare vigorem;
Vos, ait, ô ſocii, ſicut tormenta ſoletis,
Me quoque mittendis rectum componite telis.
Egere, quod ſupereſt animæ, Tyrrhene: per omnes
Bellorum caſus; ingentem militis uſum
Hoc habet ex magna defunctum parte cadaver.
Viventis feriere loco, ſic fatus in hoſtem
Cœcâ tella manu, ſed non tamen irrita mittit.
Excipit hæc juvenis generoſi ſanguinis Argus,
Qua jam non medius deſcendit in ilia venter,
Adjuvitque ſuo procumbens pondere ferrum;
Stabat diverſâ victæ jam parte carinæ
Infelix Argi genitor, (non ille juventæ
Tempore Phocaicis ulli ceſſurus in armis:
Victum ævo robur cecidit, feſſuſque ſenecta

Exem-

Exemplum, non miles erat) qui funere viſo
Sæpe cadens longè ſenior per tranſtra carinæ
Pervenit ad puppim, ſpirantéſque invenit artus.
Non lacrymæ cecidere genis, non pectora tundit,
Diſtentis toto riguit ſed corpore palmis.
Nox ſubit, atque oculos vaſtæ obduxere tenebræ,
Et miſerum cernens agnoſcere deſinit Argum.
Ille caput labens, & jam languentia colla
Viſo patre levat: vox fauces nulla ſolutas
Proſequitur: tacito tantùm petit oſcula vultu,
Invitatque patris claudenda ad lumina dextram.
Ut torpere ſenex caruit, vireſque cruentus
Cœpit habere dolor, non perdam tempora, dixit,
A ſævis, permiſſa Deis, jugulúmque ſenilem
Confodiam: veniam miſero concede parenti,
Arge, quod amplexus, extrema quòd oſcula fugi.
Nondum deſtituit calidus tua vulnera ſanguis
Semianimiſque jaces, & adhuc potes eſſe ſuperſtes.
Sic fatus, quàmvis capulum per viſcera miſſi
Polluerat gladii, tamen alta ſub æquora tendit
Præcipiti ſaltu: & lethum præcedere nati
Feſtinantem animam morti non credidit uni.

Victoria penes Cæſarianos ſtetit, penes Maſſilienſes luctus, ingens penes Brutum gloria.

Inclinant jam fata Ducum: nec jam amplius anceps
Belli caſus erat; Grajæ pars maxima claſſis
Mergitur: eſt aliæ mutato remige puppes
Victores vexere ſuos: navalia paucæ
Præcipiti tenuere fugâ. Quis in urbe parentum
Fletus erat! quantus matrum per littora planctus;
Conjux ſæpe ſui confuſis vultibus undâ,
Credidit ora viri, Romanum amplexa cadaver:
Accenſiſque rogis miſeri de corpore trunco
Certavère patres. At Brutus in æquore victor
Primus Cæſareis pelagi decus addidit armis.

DESCRIPTIO ALIA IN EODEM ARGUMENTO.

OPUGNATIO NOVÆ TROJÆ

Ab Ænæa, ſtatim à primo ſuo in Italiam appulſu conditæ,

A Turno Rutulorum Rege appugnatæ,

Ab Aſcanio, Æneæ filio, defenſæ,

Ex Virgilii Lib. 9. Æneid.

EXEMPLUM.

Rutulorum exercitus in tres acies diviſus & ad obſidendam urbem expeditus.

Jamque omnis campis exercitus ibat apertis:
Dives equûm, dives depictæ veſtis, & auri.
Meſſapus primas acies, poſtrema coërcent
Tyrrheidæ juvenes: medio dux agmine Turnus
Vertitur arma tenens, & toto vertice ſupra eſt:
Ceu ſeptem ſurgens ſedatis amnibus altus
Per tacitum Ganges, aut pingui flumine Nilus,
Cùm refluit campis, & jam ſe condidit alveo.

Trojani viſis Rutulis, in urbem ſe recipiunt, intra cujus mœnia, juxta Æneæ mandata, ſe continent.

Hic ſubitam nigro glomerari pulvere nubem
Proſpiciunt Teucri, ac tenebras inſurgere campis,
Primus ab adverſâ conclamat mole Caicus.
Quis globus, ô cives, caligine volvitur atrâ?
Ferte citi ferrum, date tela, & ſcandite muros:
Hoſtis adeſt: eja, ingenti clamore per omnes
Condunt ſe Teucri portas, & mœnia complent
Nàmque ita diſcedens præceperat optimus armis
Æneas: ſi qua interea fortuna fuiſſet,
Neu ſtruere auderent aciem, neu credere campo:
Caſtra modo, & tutos ſervarent aggere muros.

Ergo, etſi conferre manum pudor iraque monſtrat,
Objiciunt portas tamen, & præcepta faceſſunt,
Armatique cavis exſpectant turribus hoſtem.

Turnus ad urbem propius accedit, bellum Trojanis denuntiat, illos ad pugnam provocat, Trajanis urbe egredi nolentibus ignaviam exprobrat.

Turnus, ut ante volans, tardum præceſſerat agmen,
Viginti lectis equitum comitatus, & urbi
Improviſus adeſt: maculis quem Thracius albis
Portat equus, criſtâque tegit galea aurea rubrâ:
Ecquis erit mecum, o juvenes, qui primus in hoſtem?
En, ait, & jaculum intorquens emittit in auras:
Principium pugnæ: & campo ſeſe arduus infert.
Clamore excipiunt ſocii, fremituque ſequuntur
Horriſono: Teucrûm mirantur inertia corda;
Non æquo dare ſe campo; non obvia ferre
Arma viros, ſed caſtra fovere: huc turbidus, atque huc
Luſtrat equo muros, aditúmque per avia quærit.
Ac veluti pleno lupus inſidiatus ovili;
Cùm fremit ad caulas, ventos perpeſſus & imbres
Nocte ſuper mediâ: tuti ſub matribus agni
Balatum exercent: ille aſper, & improbus irâ
Sævit in abſentes: collecta fatigat edendi
Ex longo rabies, & ſiccæ ſanguine fauces:
Haud aliter Rutulo, muros & caſtra tuenti
Igneſcunt iræ, & duris dolor oſſibus ardet:
Quâ tentet ratione aditus: & quæ via clauſos
Excutiat Teucros vallo, atque effundat in æquor.

Turnus ſe ſuoſque facibus armat ad exurendam Trojanorum Claſſem.

Claſſem, quæ lateri caſtrorum adjuncta latebat,
Aggeribus ſeptam circum, & fluvialibus undis,
Invadit, ſociosque incendia poſcit ovantes,
Atque manum pinu flagranti fervidus implet.
Tum vero incumbunt: urget præſentia Turni:
Atque omnis facibus pubes accingitur atris,
Diripuere focos: piceum fert fumida lumen

Tæda; & commiſtam Vulcanus ad aſtra favillam.
Quis DEUS, ô Muſæ; tam ſæva incendia Teucris
Avertit? tantos ratibus quis depulit ignes?
Dicite: priſca fides facto, ſed fama perennis, &c.

Turnus ſuos ad urbem valido aggreſſu invadendam hortatur: ad curanda corpora noctis ſpatium iis indulget: ſtationarios milites diſponit; ignes accendi jubet: ſua cuique munera diſtribuit.

At non audaci ceſſit fiducia Turno:
Ultro animos tollit dictis, atque increpat ultro, &c.
Sed vos, ô lecti, ferro quis ſcindere vallum
Apparat, & mecum invadit trepidantia caſtra?
Non armis mihi Vulcani, non mille carinis
Eſt opus in Teucros: addant ſe protinus omnes
Hetruſci ſocios: tenebras & inertia furta
Palladii, cæſis ſummæ cuſtodibus arcis,
Ne timeant, nec equi cæſâ condemur in alvo:
Luce palàm certum eſt igni circumdare muros.
Haud ſibi cum Danais rem, faxo, & pube Pelaſgâ
Eſſe putent: decimum quos diſtulit Hector in annuum.
Nunc adeò, melior quoniam pars acta diei,
Quod ſupereſt, læti bene geſtis corpora rebus
Procurate viri, & pugnam ſperate parati.
Intereà vigilum excubiis obſidere portas
Cura datur Meſſapo, & mœnia cingere flammis,
Bis ſeptem Rutuli, muros qui milite ſervent,
Delecti: aſt illos centeni quemque ſecuti,
Purpurei criſtis juvenes auróque coruſci.
Diſcurrunt: variántque vices, fuſique per herbam
Indulgent vino, & vertunt crateras ahenos.
Collucent ignes: noctem cuſtodia ducit
Inſomnem ludo.

Trojani è propugnaculis ſuis obſervantes, quid in Rutulorum caſtris agatur, ubi accenſi ignes omnia colluſtrant, urbis ſaluti ſollicitè conſulunt.

Hæc ſuper è vallo proſpectant Troes, & armis
Alta tenent; nec non trepidi formidine portas

Explo-

Explorant, pontéſque & propugnacula jungunt,
Tela gerunt: inſtant Mneſtheus, acerque Sereſtus,
Quos pater Æneas, ſi quando adverſa vocarent,
Rectores juvenum, & rerum dedit eſſe magiſtros,
Omnis per muros legio ſortita periclum
Excubat, exercetque vices, quod cuique tuendum eſt, &c.

Turnus ſuas ad impetum in urbem faciendum inſtruit acies, & ad rem bene gerendam hortatur.

Et jam prima novo ſpargebat lumine terras
Tithoni croceum linquens Aurora cubile:
Jam Sole infuſo jam rebus luce retectis,
Turnus in arma viros, armis circumdatus ipſe,
Suſcitat; æratáſque acies in prælia cogit
Quiſque ſuas, variiſque acuunt rumoribus iras.

Signo dato ad urbis oppugnationem irrumpunt undique Rutuli; Trojani ex adverſo ſe urbemque ſuam tuentur acerrimè.

At tuba terribilem ſonitum procul ære canoro
Increpuit, ſequitur clamor, cœlumque remugit,
Accelerant actâ pariter teſtudine Volſci,
Et foſſas implere parant, ac vellere vallum,
Quærunt pars aditum, & ſcalis adſcendere muros,
Qua rara eſt acies, interlucétque corona
Non tam ſpiſſa viris: telorum effundere contra
Omne genus Teucri, ac duris detrudere contis,
Aſſueti longo muros defendere bello,
Saxa quoque infeſto volvebant pondere, ſi quâ
Poſſent tectam aciem perrumpere, cum tamen omnes
Ferre libet ſubter densâ teſtudine caſus.
Nec jam ſufficiunt; nam qua globus imminet ingens,
Immanem Teucri molem volvuntque, ruúntque;
Quæ Rutulos ſtravit latè, armorúmque reſolvit
Tegmina Nec curant cæco contendere Marte
Amplius audáces Rutuli, ſed pellere vallo
Miſſilibus certant.
Parte aliâ horrendus viſu quaſſabat Hetruſcam
Pinum, & fumiferos infert Mezentius ignes.

At Meſſapus equûm domitor, Neptunia proles,
Reſcindit vallum, & ſcalas in mœnia poſcit,
Vos, ô Calliope, precor, adſpirate canenti:
Quas tibi tum ferro ſtrages, quæ funera Turnus
Ediderit; quem quiſque virûm demiſerit Orco;
Et mecum ingentes oras evolvite belli:
Et meminiſtis enim Divæ, & memorare poteſtis.

Lignea turris, è quâ Trojanorum lecta manus pugnabat, Rutulorum facibus exuritur: Qui intus erant Trojani, vel turris ignibus correpti, vel à Rutulis cæſi pereunt.

Turris erat vaſto ſuſpectu, & pontibus altis,
Opportuna loco; ſummis quam viribus omnes
Expugnare Itali, ſummâque evertere opum vi
Certabant; Troës contra defendere ſaxis,
Pérque cavas denſi tela intorquere feneſtras,
Princeps ardentem conjecit lampada Turnus,
Et flammam affixit lateri: quæ plurima vento
Corripuit tabulas, & poſtibus hæſit adeſis
Turbati trepidare intus; fruſtraque malorum
Velle fugam: dum ſe glomerant retróque reſidunt
In partem, quæ peſte caret: tum pondere turris
Procubuit ſubito, & cœlum tonat omne fragore,
Semineces ad terram immani mole ſecuta
Confixique ſuis telis, & pectora duro
Transfoſſi ligno veniunt: vix unus Helenor,
Et Lycus elapſi: quorum primævus Helenor,
Mæonio regi quem ſerva Licymnia furtim
Suſtulerat, vetitíſque ad Trojam miſerat armis:
Enſe levis nudo, parmâque inglorius albâ.
Iſque ubi ſe Turni media inter millia vidit,
Hinc acies, atque hinc acies adſtare Latinas;
Ut fera, quæ denſâ venantum ſepta coronâ
Contra tela furit, ſeſéque haud neſcia morti
Injicit, & ſaltu ſupra venabula fertur;
Haud aliter juvenis medios moriturus in hoſtes
Irruit, & quâ tela videt denſiſſima, tendit.
At pedibus longè melior Lycus, inter & hoſtes

Inter & arma fugâ muros tenet, altaque certat
Prendere tecta manu, ſociúmque attingere dextra;
Quem Turnus pariter curſu teloque ſecutus,
Increpat his victor: Noſtraſnè evadere demens
Speraſti te poſſe manus? ſimul arripit ipſum
Pendentem; & magnâ muri cum parte revellit.
Qualis ubi aut leporem, aut candenti corpore cycnum
Suſtulit alta petens pedibus Jovis armiger uncis:
Quæſitum aut matri multis balatibus agnum
Martius à ſtabulis rapuit lupus. Undique clamor
Tollitur, invadunt, & foſſas aggere complent.

Pergunt Rutuli in oppugnatione urbis: Trojanos premunt, illi reſiſtunt: multi utrinque cæduntur.

Ardentes tædas alii ad faſtigia jactant:
Ilioneus ſaxo atque ingenti fragmine montis,
Lucetium portæ ſubeuntem, ignéſque ferentem.
Emathiona Liger, Chorinæum ſternit Aſylas:
Hic jaculo bonus, hic longè fallente ſagittâ.
Ortygium Cæneus, victorem Cænea Turnus:
Turnus Ityn, Cloniúmque, Dioxippum Promulumque
Et Sagarim, & ſummis ſtantem pro turribus Idam:
Privernum Capys, hunc primo levis haſta Themillæ
Strinxerat: Illè manum projecto tegmine, demens
Ad vulnus tulit: ergo alis allapſa ſagitta,
Et lævo infixa eſt lateri manus; abditaque intus
Spiramenta animæ lethali vulnera rupit
Stabat in egregiis Arcentis filius armis,
Pictus acu chlamydem, & ferrugine clarus Iberâ,
Inſignis facie genitor quem miſerat Arcens,
Eductum Martis luco, Simethia circum
Flumina: pinguis ubi, & placabilis ara Palici.
Stridentem fundam, poſitis Mezentius armis,
Ipſe ter adductâ circum caput egit habenâ,
Et media adverſi liquefacto tempora plumbo
Diffidit, ac multâ porrectum extendit arenâ.

Aſcanius Numanum, qui ſororem Turni uxorem duxerat, Trojanis ſuperbè inſultantem, atque Italorum hominum

vires ac robur thraſonicè jactantem, contortâ in ejus caput ſagittâ, interficit.

Tum primum bello celerem intendiſſe ſagittam
Dicitur, ante feras ſolitus terrere fugaces
Aſcanius, fortemque manu fudiſſe Numanum:
Cui Remulo cognomen erat: Turnique minorem
Germanam nuper thalamo ſociatus habebat.
Is primam ante aciem digna atque indigna relatu
Vociferans, tumidusque novo præcordia regno
Ibat, & ingenti ſeſe clamore ferebat.
Non pudet obſidione iterum vallóque teneri;
Bis capti Phryges, & morti prætendere muros?
En! qui noſtra ſibi bello connubia poſcunt
Quis DEUS Italiam? quæ vos dementia adegit?
Non hic Atreidæ, nec fandi fictor Ulyſſes.
Durum à ſtirpe genus, gnatos ad flumina primùm
Deferimus, ſævóque gelu duramus & undis,
Venatu invigilant pueri, ſilvásque fatigant:
Flectere ludus equos, & ſpicula tendere cornu.
At patiens operum, parvóque aſſueta juventus.
Aut raſtris terram domat; aut quatit oppida bello,
Omne ævum ferro teritur, verſáque juvencûm
Terga fatigamus haſtâ: nec tarda ſenectus
Debilitat vires animi: mutátque vigorem.
Canitiem galeâ premimus, ſempérque recentes
Convectare juvat prædas, & vivere rapto,
Vobis picta croco & fulgenti murice veſtis
Deſidiæ cordi, juvat indulgere choreis.
Et tunicæ manicas & habent redimicula mitræ,
O verè Phrygiæ, (neque enim Phryges) ite per alta
Dindyma, ubi aſſuetis biforem dat tibia cantum,
Tympana vos buxusque vocat Berecynthia matris
Idææ: ſinite arma viris; & cedite ferro.
Talia jactantem dictis ac dira canentem
Non tulit Aſcanius, nervóque obverſus equino
Contendit telum; diverſaque brachia ducens;
Conſtitit ante Jovem ſupplex per vota præcatus:
Jupiter omnipotens audacibus annue cœptis,

Ipſe

Ipſe tibi ad tua templa feram ſolemnia dona,
Et ſtatuam ante aras auratâ fronte juvencûm
Candentem: paritérque caput cum matre ferentem;
Jam cornu petat, & pedibus qui ſpargat arenam.
Audiit, & cœli genitor de parte ſerenâ
Intonuit lævum, ſonat una lethifer arcus.
Et fugit horrendum ſtridens elapſa ſagitta.
Perque caput Remuli venit, & cava tempora ferro
Trajicit. I. verbis virtutem illude ſuperbis.
Bis capti Phryges hæc Rutulis reſponſa remittunt
Hæc tantum Aſcanius. Teucri clamore ſequuntur,
Lætitiâque fremunt, animosque ad ſidera tollunt, &c.

Rutuli furore accenſi pugnæ acriùs inſiſtunt; Duo Trojanorum Duces porcam urbis, ſuæ cuſtodiæ commiſſam, pandunt Rutulis; eosque ad prælium cum ipſis in portæ aditu ineundum provocant. Turnus eâ de re monitus in urbem ferox irrumpit; multam Trojanorum ſtragem edit; ſed tandem repulſus, victusque urbe excedere cogitur.

It clamor totis per propugnacula muris:
Intendunt acres arcus, amentaque torquent
Sternitur omne ſolum telis, tum ſcuta cavæque
Dant ſonitum flictu galeæ, pugna aſpera ſurgit:
Quantus ab Occaſu veniens pluvialibus hædis
Verberat imber humum, quam multâ grandine nimbi
In vada præcipitant: cum Jupiter horridus Auſtris
Torquet aquoſam hyemen, & cœlo cava nubila rumpit.
Pandarus & Bicias, Idæo Alcanorè certi:
Quos Jovis eduxit luco ſilveſtris Hiera,
Abietibus juvenes patriis & montibus æquos:
Portam, quæ ducis imperio commiſſa, recludunt:
Freti armis, ultroque invitant mœnibus hoſtem,
Ipſi intus dextrâ ac lævâ pro turribus adſtant,
Armati ferro, & criſtis capita alta coruſci:
Quales aëriæ liquentia flumina circum,
Sive Padi ripis, Atheſin ſeu propter amœnum,
Conſurgunt geminæ quercus; intonſaque cœlo
Attollunt capita: & ſublimi vertice nutant,

Irrumpunt, aditus Rutuli ut vidêre patentes,
Continuo Quercens, & pulcher Equicolus armis,
Et præceps animi Tmarus, & Movortius Hæmon,
Agminibus totis, aut verſi terga dedêre,
Aut ipſo portæ poſuere in limine vitam.
Tum magis increſcunt animis diſcordibus iræ,
Et jam collecti Troës glomerantur eodem,
Et conferre manum, & procurrere longius audent
Ductori Turno, diverſâ in parte furenti,
Turbantíque viros, perfertur nuntius, hoſtem
Fervere cæde novâ, & portas præbere patentes:
Deſerit inceptum, atque immani concitus irâ,
Dardaniam ruit ad portam fratrèsque ſuperbos,
Et primum Antiphaten (is enim ſe primus agebat)
Thebana de matre nothum Sarpedonis alti,
Conjecto ſternit jaculo: volat Itala cornus
Aëra per tenerum, ſtomachoque infixa ſub altum
Pectus abit; reddit ſpecus atri vulneris undam
Spumantem, & fixo ferrum in pulmone tepeſcit.
Tum Meropem atque Erymantha manu, tum ſternit Aphidnum.
Tum Bitian, ardentem oculis, animisqúe frementem:
Non jaculo (neque enim jaculo vitam ille dediſſet)
Sed magnum ſtridens contorta phalarica venit,
Fulminis acta modo: quam nec duo taurea terga,
Nec duplici ſquamâ loricaa fidelis & auro
Subſtinuit; collapſa ruunt immania membra.
Dat tellus gemitum; & clypeum ſuper intonat ingens.
Qualis in Euboico Bajarum littore quondam
Saxea pila cadit; magis quam molibus antè
Conſtructam jaciunt ponto: ſic illa ruinam
Prona trahit, penitúsque vadis illiſa recumbit.
Miſcent ſe maria, & nigræ attolluntur arenæ,
Tum ſonitu Prochyta alta tremit, durúmque cubile
Inarime, Jovis imperiis impoſta Typhœo.
Hic mars armipotens animum vireſque Latinis
Addidit, & ſtimulos acres ſub pectore vertit:
Immiſitque fugam Teucris, atrumque timorem.
Undique conveniunt: quoniam data copia pugnæ,

Bella-

Bellatorque animos DEUS incidit.
Pandarus, ut fuſo germanam corpore cernit,
Et quo ſit fortuna loco, qui caſus agat res:
Portam vi multâ converſo cardine torquet,
Obnixus latis humeris, multóſque ſuorum
Mœnibus excluſos, duro in certamine linquit,
Aſt alios ſecum includit, recipitque ruentes.
Demens, qui Rutulum in medio non agmine regem
Viderit irrumpentem, ultróque incluſerit urbi;
Immanem veluti pecora inter inertia tigrim,
Continuo nova lux oculis effulſit, & arma
Horrendum ſonuere: tremunt in vertice criſtæ
Sanguineæ, clypeoque micantia fulgura mittit.
Agnoſcunt faciem inviſam atque immania membra
Turbati ſubitò Æneadæ. Tum Pandarus ingens
Emicat, & mortis fraternæ fervidus irâ;
Effatur: Non hæc dotalis regia Amatæ,
Nec muris cohibet patriis media Ardea Turnum.
Caſtra inimica vides: nulla hinc exire poteſtas.
Olli ſubridens ſedato pectore Turnus:
Incipe, ſi qua animo virtus, & conſere dextram;
Hic etiam inventum Priamo narrabis Achillem.
Dixerat: ille rudem nodis & cortice crudo,
Intorquet ſummis adnixus viribus haſtam,
Excepere auræ vulnus; Saturnia Juno
Detorſit veniens; portæque infigitur haſta,
At non hoc telum, mea quod vi dextera verſat,
Effugies: neque enim is teli: nec vulneris auctor,
Sic ait, & ſublatum altê conſurgit in enſem;
Et mediam ferro gemina inter tempora frontem
Dividit: impubéſque immani vulnere malas.
Fit ſonus, ingenti concuſſa eſt pondere tellus,
Collapſos artus, atque arma cruenta cerebro
Sternit humi moriens: atque illi partibus æquis
Huc caput atque illuc humero ex utroque pependit.
Diffugiunt verſi trepidâ formidine Troës,
Et, ſi continuo victorem ea cura ſubiſſet;
Rumpere clauſtra manu, ſociósque immittere portis,
Ultimus ille dies bello gentique fuiſſet:

Sed

Sed furor ardentem, cædiſque inſana cupido
Egit in adverſos.
Principio Phalarim, & ſucciſo poplite Gygen
Excipit, hinc raptas fugientibus ingerit haſtas
In tergum: Juno vires animúmque miniſtrat.
Addit Halyn comitem, & confixâ Phegea parmâ
Ignaros deinde in muris Martemque cientes,
Alcandrúmque, Haliúmque Noëmonaque, Prytanimque
Lyncea tendentem contrà, ſociosque vocantem,
Vibranti gladio connixus ab aggere dexter
Occupat: huic uno dejectum cominus ictu
Cum galeâ longè jacuit caput; inde ferarum
Vaſtatorem Amycum, quo non felicior alter
Ungere tela manu, ferrumque armare veneno:
Et Clytium Æoliden: & amicum Cretea Muſis;
Cretea Muſarum comitem, qui carmina ſemper;
Et cytharæ cordi, numerosque intendere nervis:
Semper equos, atque arma virûm, pugnásque canebat,
Tandem ductores, auditâ cœde ſuorum,
Conveniunt Teucri, Mneſtheus, acerque Sereſtus,
Palantesque vident ſocios hoſtémque receptum.
Et Mneſtheus: quo deinde fugam? quo tenditis? inquit,
Quos alios muros, quæ jam ultra mœnia habetis?
Unus homo, & veſtris, ô cives, undique ſeptus
Aggeribus, tantas ſtrages impunè per urbem
Ediderit? juvenum primos tot miſerit Orco?
Non infelicis patriæ, veterumque Deorum,
Et magni Æneæ ſegnes miſeretque, pudétque?
Talibus accenſi firmantur, & agmine denſo
Conſiſtunt, Turnus paulatim excedere pugnâ.
Et fluvium petere, ac partem, quæ cingitur amni,
Acrius hoc Teucri clamore incumbere magno,
Et glomerare manum: Ceu ſævum turba leonem
Cum telis premit infenſis; at territus ille
Aſper, acerba tuens, retro redit, & neque terga
Ira dare aut virtus patitur; nec tendere contra.
Ille quidem hoc cupiens; potis eſt per tela, viróſque.
Haud aliter retro dubius veſtigia Turnus
Improperata refert, & mens evæſtuat irâ.

Quin

Quin etiam bis tum medios invaſerat hoſtes:
Bis converſa fugâ per muros agmina vertit.
Sed manus è caſtris properè coit omnis in unum:
Nec contra vires audet Saturnia Juno
Sufficere, aëriam cœlo nam Jupiter Irin
Demiſit; germanæ haud mollia juſſa ferentem;
Ni Turnus cedat Teucrorum mœnibus altis,
Ergo nec clypeo juvenis ſubſiſtere tantum,
Nec dextrâ valet: injectis ſic undique telis
Obruitur, ſtrepit aſſiduo cava tempora circum
Tinnitu galea, & ſaxis ſolida æra fatiſcunt,
Diſcuſſæque jubæ capiti: nec ſufficit umbo
Ictibus, ingeminant haſtis & Troës, & ipſe
Fulmineus Mneſtheus. Tum toto corpore ſudor
Liquitur: & piceum (nec reſpirare poteſtas)
Flumen agit: feſſos quatit æger anhelitus artus.
Tum demum præceps ſaltu ſeſe omnibus armis
In fluvium dedit: Ille ſuo cum gurgite flavo
Accepit venientem, ac mollibus extulit undis,
Et lætum ſociis abluta cæde remiſit.

ARGUMENTUM

Septimi Exempli Deſcriptionis Poëticæ.

Polonorum de Turcis Victoria,
à Magnanimo & Invicto Heroë
nunc
JOANNE SOBIESKIO,
tunc temporis
Magno Poloniæ Polemarcho;
Sereniſſimo Poloniæ Rege.
Ad Chocimum relata.
III. Id Novembr. Anno MDCLXXIII.
Ex Heroico Poëmate P. Joan. Perigaut, S. J.

EXEM-

EXEMPLUM.

Polonorum exercitus pugnæ cupidus Turcas quærit.

Continuò expanſis incedunt agmina ſignis
Ordine quæque ſuo, celeréſque per avia greſſus,
Et per plana ferunt ſeque exhortantur in arma
Immanes contra Scithicos, gentémque ſceleſtam.
Sic ubi Getuli in circum, Libicive leones
Educti caveâ, exſiliunt, jámque æquore aperto
Seu tigrides contra; Mirmilonúmve maniplus
Procedunt curſu rapido, pugnæque parant ſe:
Mox cervice jubam excutiunt, caudæque flagella
Ingeminant tunſo lateri, rauco inde ſonore
Terrificant hoſtes, iráſque in pectore verſant,

Poloni, hortante ac præeunte intrepido Sobieskio, rapidum ac difficile flumen trajiciunt.

Ventum erat ad flumen, ſtagnantíque arva meatu
Undabant latè, cum primus in agmine ductor
Magnanimus: ſi queis, inſit, vel patria cordi eſt,
Chriſtive alma Fides, mox in diſcrimina mecum
Pulchra ruant, vitámque auſint pro laude paciſci,
Laude immortali, mediiſque ſequantur in undis.
Tantum effatus, & in rapidum mox fluminis alveum
Urget equum fulgentem oſtro, validoque natatu
Tranat, & adverſam evadit Sobieskus in oram.
Hortatu, exemploque Ducis læta agmina in amnem
Proſiliunt; placido unda ſinu ſubſtrata meantes
Excipit, & fremitu viſa eſt applaudere blando;
Ceu quondam ductore Deo & præeunte Columna,
Iſacidæ, Pharii currus atque arma tyranni
Dum fugiunt mare per medium, hinc attollitur unda
Atque illinc: murorum inſtar; campique virentes
Apparent; balantque greges, ubi nativa falſos
Sulcavit nuper fluctus, piſcéſque natarunt.

Nocte ingruente Sobieskius edicit, ut turmæ ſubſiſtant, cibo & quiete corpora reficiant: Ipſe interea cum præ-

præcipuis copiarum Præfectis de tota pugnæ ratione primùm deliberat, deinde precibus Numen ſibi propitium reddere ſtudet.

Poſtquam omnis tumidum, ut juſſum eſt, exercitus amnem
Trajecit, Veſpérque faces accendere cœlo
Incipit; extemplo edici Dux imperat omnes
Per turmas, feſſos ut equos, & corpora curent;
Atque brevi laxent humentia membra quiete.

Ipſe autem inſignes uſu, bellique Miniſtros
Præcipuos ſua mox jubet in tentoria promtos
Acciri, atque aptum nunc iſto in cardine rerum
Conſilium exquirit: tum pectore digerit alto
Aſſultus, pugnæque modum; ac diſcrimina cuncta
Præcipere ante animo, & qua fas, occurrere tendit.

Nec minus ille tamen flagrantibus æthera votis,
Auxilium implorans, pulſat; Numenque ſupremum
Cœlicolasque omnes humili Prece pronus adorat.

Intereà denſis nox circumfuſa tenebris
Latè operit terras, placido & labentia curru
Sidera conciliant ſomnos, deſſeſſaque mulcent
Membra virûm, & curis exercita corda diurnis.

Turcæ ad Polonorum adventum turbantur, & metu anxii dubitant, quid ſibi, in hoc rerum ſtatu, faciendum ſit. Eorum terrorem augent objectæ turbatis mentibus quaſi per viſum ſpecies, certæ impendentium malorum prænuntiæ.

At non Turcigenis requie, ſomnóque potiri
Conceſſum; vario trepidant nam cuncta tumultu,
Ex quo Sarmaticas fluvium tranaſſe phalanges
Nuntia certa ferunt, ſéque acri accingere pugnæ.

Campiſne expediat turmas educere apertis,
Aut intra vallum remanere, & caſtra tueri
Plauſtrorum objectu, atque alto munimine ſepta,
Conſultant, anceps agitat ſententia mentes,
Incertasque diu nunc huc nunc abripit illuc:
Qualis ubi medio ſors deprenſa æquore cymba,

Cymba lævis, remo exili, contoque gubernas,
Quam piſcator agit; validis ſurgentibus Euris,
Fluctat, & dubio alternans atque incita motu,
Ventorum ad nutum fertur, tritubatque per undas,
Terrorem ingeminant, quæ nocte inſomnia mentes
Præteritâ pavidas viſis turbâſſe feruntur
Horrificis, certa inſtantis præſagia cladis,
Viſus enim volitare furens per caſtra Polonus
Victor ovans; viſa & dirum exhorreſcere Luna
Sanguineis maculoſa notis, inſigniaque altè
Chriſtiadum gemmis elata effulgere, & auro
Necquicquam placare DEum, atque avertere monſtra
Nititur inſano ritu gens perfida, falſum
Voce vocans altâ Vatem, quem fudit ab Orco
Rex Erebi dudum, ut terras infeſtet, & undas.
Fruſtra & continuis pollutos ſordibus artus
Tartareis dignos flammis, ſparſâ abluit undâ,
Obſcœnâ, ipſe flagrans, terrâque libidine Myſter.

Poloni Chriſtianis ſacris ſe muniunt ad pugnam cum Barbaris ineundam.

Non ita Sauromatæ, Dio queis lumine fulget
Pura fides, pietáſque ſacris ſuccenſa medullas
Ignibus, ut primum cœlo illuceſcere cœpit
Aurora, & croceo depingere lumine nubes,
Immortale adolent Sacrum, paſſimque Parenti
Æthereo veneranda litant libamina ad aras,
Inſontem, impollutum Agnum, qui crimina gentis
Terrigenum, morte immerita fuſóque piavit
Sanguine; nunc Erebi victor cœlo arduus alto
Dexterque aſſiſtens Patri, tenet aurea ſceptra:
Réſque hominum, nutu ſummo, Divûmque gubernat.
Dux etiam miléſque, pii queis copia Myſtæ eſt,
Culparum obſtergent maculas de more vetuſto,
Séque reos ipſi incuſant, veniámque precantes
Pectoribus tunſis, vinclo volvuntur ab omni,
Voce Sacerdotum, quibus eſt conceſſa poteſtas
Digna DEO; inde alacres, cupidique in prælia ſurgunt.

Sobi-

Sobieſkius ante pugnam concionem habet ad milites, & illos ad rem benè gerendam hortatur.

His actis capere arma jubet Polemarchus, & hoſtes
Tendere in adverſos, caſtris & mole latentes
Multiplici magniſque animos hortatibus urget:

Inclyta Sarmatici ſoboles, ſpéſque optima regni,
Optatum jam tempus adeſt, quo quiſque parentum
Sanguinéque, & factis ſe dignum præſtet, & almæ
Tutorem Fidæi; Patriæque à finibus arcens
Prædonum infames turmas, inimicáque Chriſto
Agmina, proſpiciat gnatis, ſponſæque, ſociſque
Atque Aris, quas heu! nuper gens effera, & excors
Polluit, everſáque Cruce, altis cornua Lunæ
Turribus impoſuit templorum; ô dedecus ingens!
Æternam ô ſæcli labem noſtroque piandam
Sanguine, vel melius Turcorum cæde latronum!
En! illos caſtris, ceu denſâ indagine clauſos,
Offert ipſe DEUS mactandos more ferarum,
Quas venatores agitant per luſtra fugaces
Victores præda ampla manet, memorabile nomen,
Servatæque decus Patriæ. Sin Rector Olympi
Juſſerit inſigni forſan procumbere letho
Pugnantes inter cuneos, hoſtiliaque arma
Turcigenûm nobis, Diô munita ſigillo,
Priſca Fides ſpondet ſummo ſuper ætheris axe
Vitam immortalem præfulgentemque coronam;
Vis quam nulla dein rapiat, vel deterat ævum
Ipſe quidem hunc hodie campum pugnamque ſubibo
Sorte pari, & victor præclaro aut funere functus,
Me digna & Patria, gnatis exempla relinquam.

Polonorum ad pugnam accenſorum ardor imperterritus.

Talibus incenſi dictis, ac Numinis æſtu,
Sarmatii certatim ad prælia juſſa feruntur,
Spem læto & vultu ſignant; micat acribus ignis
Ex oculis, toto ſpirant & pectore Martem.
Ergo acies campo incedunt, vexilla ſequutæ

Quæque ſua, adverſa & properant invadere caſtra,
Supremi quâ parte Ducis mandata vocarint.
Nec verò abſterret, quamvis numeroſior hoſtis,
Magnanimos: foſſæque undantes gurgite vaſto:
Non agger latè eductus, vallive crepido
Ardua; non ſaltus condenſis ſentibus horrens,
Torrentumve rapas fremitus, arboantiâve ore
Flammivomo horrendum tormenta, & ahenea belli
Fulmina, inacceſſique aditus; Quin nobilis ardor
Ferveſcit magis, atque ipſo diſcrimine creſcit.
Qualis fortè ſpecu, & ſaxoſis molibus ignis
Incluſus furit, atque viâ procumbere apertâ
Impete dum quærit magno arti carceris antrum
Concutit, & ſuperas victor ſe effuudit ad auras.
Chriſticolûm generoſa calent ſic pectora flammis
Æthereis, Geticâſque ardent invadere turmas
Obicibus ruptis vallorum, atque aggere denſo.

Tres primarii Ductores Polonorum exercitûs ad pugnam progredientes, & in tres acies, more ſolito, diviſi; eotúmque Deſcriptio.

Ruthenus * dextrum cornu tenet, agmina ducens
Prima Palatinus, criſtis inſignis, & oſtro,
Ore decus gentis referens, & facta parentum
Belligera exſuperans animis, non degener hæres.
Lævam aciem longâ belli Demetrius * arte
Conſpicuus ductat, generoſo ſtemmate Princeps,
Clarior at geſtis; ferroque, auróque coruſcus
Emicat ante alios & pugnæ fervidus inſtat.
Præcipuum, mediúmque agmen Sobieskius * alto
Ipſe movet ſublimis equo, cunctoſque ſuperſtat
Imperióque, armíſque, & Majeſtatis honore,
Inſpiratque ſuis ſpem lætam, animique vigorem
Inſolitum, vibrans oculis ardentibus ignes.

* Palatinus Ruſſiæ dextro cornu præerat.
* Princeps Demetrius, minor Regni Polemarchus ſiniſtrum cornu;
* Medium, ipſe Sobleskius regebat.

Hoc

Hoc habitu, vultuque olim, dum bella petebat,
Inceſſiſſe ſuum jactavit fabula mendax
Gradivum, latèque metu ſparſiſſe per orbem.

Francigenûm ſic grande decus, Godofredus adibat prælia, dum Solymæ ad muros premit agmina, turpi Verſa fuga, infandæ Gentis, cœlóque rebellis.

Sic & tu, belli fulmen, terróque Getarum,
Scanderbege, feri dura in certamina Martis
Irruere, & Scythici turmas contra ire Tyranni,
Terribilémque rotans gladium mactare ſolebas
Seu plano in campo; aut obſeſſæ ad mœnia Crojæ.

Signum ad pugnam datur, bellica Polonorum tormenta vallum Turcicum, quâ parte Auſtrum ſpectat, ſubitâ verberatione perfringunt, viámque Polonis ad aggreſſionem Caſtrorum aperiunt.

Ærea jamque adeò pugnæ dant undique ſignum
Cornua, & expanſa fluitant vexilla per auras,
Cymbaláque & rauco reſonant cava tympana pulſu.
Arma parant Turcæ: quos fruſtra educere caſtris
Tentatum; tuto ſtat ſe defendere cinctu
Foſſarum, atque arcere hoſtes jaculiſque ſariſsiſque:
Ac tormentorum tonitruque & fulmine crebro
Ceu cum annoſus aper venantûm cornua longè
Atque moloſſorum latratus audiit, aure
Arrectâ intentus, ſeque obſeſſum undique cernit,
Nec potis eſt tentare fugam; tum mole ſuâ ſtat,
Fulmineóſque acuens dentes: ſe cotinet intra
Condenſi nemoris vepreta, hoſtíque minatur
Exitium, propius ſi fors accedere tentat.
Quâ ſpectant Auſtrum tentoria fixa Getarum,
Kinskius * ingenio præſtans ac robore dextræ,
Bellica qui tormenta regit, valido impete valli
Clauſtra quatit: reſeratque viam; qua tendere miles,
Aſſultumve queat moliri, & rumpere ſepta.

Per labefactati valli aditum, delectæ è Polonorum exercitu à Sobieskio turmæ, in caſtra Turcarum impetum faci-

* Kinski, rei tormentariæ Præfectus.

unt; bis repelluntur, bis agreſſionem inſtaurant Heroico Sobieskii exemplo animati.

Huc lectas peditum turmas Sobieskius ardens
Immittit, quas fortis eques ſuſtentat, & acri
Irruere ipſa etiam niſu por devia quærit,
Fit via vi, primum foſſas, atque ardua valli
Exſuperant, vellúntque obices hortator adurget
Dux forti ſimul exemplo, verbisque, nec ulla
Parte deeſt, quacúnque hoſtis numeroſior inſtat.

Sarmata bis pulſus, bis celſa repagula ſcandit;
Cedere jamque tamen, greſſumque referre parabat
Cùm juſtâ ardeſcens irâ juſtóque dolore,
Deſiluit Sobieskus equo, dextraque pavendum
Attollens gladium: Nunc, nunc me quisque ſequatur
Quo Chriſtus vocat, & Patria. Aut ſuper aggere cæſus
Hoſtili occumbam, aut victor mactabo Gelonos;
Utraque ſors placet ex æquo. Nec plura loquutus,
Irruit, acceſſum quo plura obſtacula foſſis,
Aggeribúsque vetant vaſtis, atque objice denſo
Carrorum, queis præcipuè Gens barbara fidit.

Sarmatios novus ardor habet, quos ira, pudorque
Religióque, & amor Patriæ, atque illuſtria facta
Exſtimulant. Rurſum irrumpunt facto agmine, & alto
Confertim vallo inſultant, vellúntque ruúntque
Obvia cuncta, Ducis præclara exempla ſequuti.

Poloni in caſtra Turcarum irrumpunt, & ingentem de Turcis ſtragem edunt. Turcæ caſtris fugati in alias, extra caſtra, Polonorum turmas incurrunt, ab iisque rurſus intra caſtra compelluntur.

Fit ſtrages Turcarum ingens: miléſque, ducesque
Sorte cadunt ſimili, nec quisquam obſiſtere contrà
Jam potis eſt, audetve: ita ſævit acinace crudo
Ductor, agens turmas dextrâ, lævâque fugaces:
Huic ſeſe adjungunt, fortiſſima pectora bello,
Ruthenus, Podlacusque * una, & Kinskius acer,

* Palatinus Ruſſiæ, & Palatinus Podlaciæ.

Zebros-

Zebroskusque & Morſtenius; ✠ ſua quemque ſequuntur
Agmina, confertosque petunt hinc inde Gelonos.
Nulla mora eſt, ſtricto pugant mucrone phalanges,
Cominus: ac pede pes hæret, mixtusque viro vir,
Ter pulſus miles Geticus, ter prælia magnis
Inſtaurare animis tentat; ferus inſtat, & urget
Sarmata; jámque fugâ caſtris ſe effundere Turcæ
Præcipiti, quotquot gladium evaſere Poloni
Victoris. Verum trepidis ſeſe obvius offert,
Ac ſubito obnitens rurſus fugat impete clarus
Sanguinéque, & factis † Korokuskius, agmina ducens
Poſnanum, cogítque iterum ſeſe abdere vallo.
Sic ubi diverſi perturbant æquora venti.
Hinc Auſter, Boreas illinc, & viribus undas
Quisque ſuis connixi, imo de gurgite tollunt;
Impelluntque; acti turbata ad littora fluctus
Spumoſi, rapidique ruunt, mox inde repulſi
Convolvunt rurſus ſeſe, retroque feruntur.

Dum à parte Auſtrinâ Sobieskius in caſtris Turcarum feliciter pugnat, eadem caſtra hinc inde perrumpunt ab ortu & ab occaſu, Princeps Demetrius, & Ruſſiæ Palatinus. Pakzius quoque cum Lithuanis in caſtra penetrat; Turcarum plurimi cæduntur.

Nec minus Eoo quâ caſtra hoſtilia Soli,
Occiduóve obverſa patent, Demetrius illinc
Atque hinc Ruthenus, diviſi Marte, locóque,
Conſilio tamen unanimes, ac viribus æqui,
Invasére Getas, ſeptisque irrumpere certant.
Et jam vi multâ, pugnacisque arte cohortis
Subruta porta aditum pandit; Czarneskius * illas
Mox ſubit, inſignis bellator, & obvia quæque
Perrumpens, vaſtâ bacchatur cæde, ſuosque,
Exemplo Ducis incenſos, ſecum rapit; ardor
Sævit inexpletus pugnæ, jam caſtra redundant
Sanguine, & horrificâ mactantur ſtrage Geloni.

✠ Zebrouski, & Morſteiu, Tribuni militum.
† Korokouski Palatinus, Poſnaniæ Signifer.
* Czarneski, præfectus equitum.

Parte aliâ celebris famâque & ſanguine avito
Pakzius ✠ exturbat vallo, cæditque catervas
Turcigenûm, fortem ſequitur Littavica pubes
Ductorem, ſeſéque fide commendat, & armis.

Sobieskius palantes, & prædæ intentos Polonos revocat; Huſſinum ſupremum Turcici exercitus Ducem aggere & vallo in caſtrenſi Prætorio ſeptum aggreditur: inde extruditur Huſſinus, & in fugam agitur.

Nec tamen hæc omni caruit diſcrimine pugna
Aut ſine Sarmatico victoria parta cruore eſt.
Funditur interdum victor, dum Martius ardor
Frigeſcit, prædæque intentus bellica miles
Deſerit imprudens ſigna, & per caſtra vagatur.
Hunc ubi palantem cernit Sobieskius, irâ
Infremit; imperiòque iterum ſub ſigna coactos
Quosque ſua, ingenti rapit in certamina niſu,
Huſſinumque Ducem ſummum petit. Ille phalange
Defenſus validâ, circum Prætoria ſeſe
Munierat, clauſusque alta intra ſepta tenebat
Efferus & ſpirans oculis atque ore furorem.
Qualis Marmaricus frendet leo, & ungue minaci
Rictuque immani terret, dum indagine denſâ
Cingitur, atque iſthinc cernit venabula, & illinc,
Venantúmque globum inſtantem; ſeſe undique verſa;
Turbidus; ac fremitu reſonant luſtra ima ſonoro
Sarmata, ſed támen haudquaquam perterritus Heros
Abſiſtit cœpto; hinc potius Mavortius ardor
Igneſcit magis, & flammas ſub pectora mittit
Relligio, Patriæque ſalus, ingensque cupido
Famæ immortalis. Mora nulla, in prælia præceps
Irruit, & rurſus Turcûm media agmina rumpit,
Fulmineum verſans chalybem. Jamque omnibus ingens
Pugna recrudeſcit caſtris; volat undique victor
Lechiades; victusque fugam circumſpicit amens
Huſſinus, valloque datis erumpit habenis,
Ac fluvio impoſtum pontem petit, agmina ſecum
Sparſa trahens equitum,

✠ Pakz, Lithuaniæ Polemarchus.

Huſſinum fugientem Sobiekius à tergo inſequitur: Dux Radzevilius à fronte fugienti obvius, fugæ iter præcludit. Hic iterum acriter pugnatur: Sobieskius Huſſinum acinace ferit; & vulnerat.

---- ---- ---- Inſequitur Sobieskius, atque hinc
A tergo fugienti inſtat, fitque obvius illinc
A fronte, antiquo Princeps de ſanguine cretus,
Littavumque decus, Raſivilius*: ilicet ambæ
Concurrunt acies, & magnis viribus unum,
Aſt ingens certe petitur caput. Ille lupus ceu,
Inſtantûm quem turba canum circum undique cingit,
Et fremit, & trepidat; dat deſperatio vires
Inſolitas; rurſum ille acies inſtaurat in hoſtem.

Sarmatius contra rapido ruit impete ductor,
Agmine ſtipatus modico: velocior illum
Quippe ferebat equus, nec non in pectore flagrans
Magnanimo, vincendíque ardor, & inclita virtus.

Hic primum obſtantes dextrâ, lævâque catervas
Perrumpit, ferroque viam ſibi pandit; & ipſum
Huſſinum tandem aſſequitur; quem Thracius albis
Portat equus fulgens maculis, inſtratus & auro,
Aureáque ore ferox oſtentans fræna ſuperbit.
At ſeſſor pariter gemmiſque, oſtróque ſuperbus
Fertur in adverſum, numero jam fretus & audax,
Inclusúmque glomo premit. Hîc Sobieskius omnes
Colligit actutum vires, & acinace Turcam
Alte ſublato ferit. Ærea tinniit ictu
Vulnifico galea, & criſtæ tremûere comantes.
Attonitus, titubansque Scythes, vultúmque cruentus
Hæret vix in equo, atque manus ni fida ſuorum
Accurrens, letho eripiat, confoſſus arenam
Sanguine turparet, nec ſe ſubduceret hoſti.

Huſſinus iterum fuga ſe pugnæ ſubtrahit: duo Turcicarum copiarum majores Præfecti (vulgo Baſſæ) in prælio cadunt: Sobieskius fugienti Huſſino inſtat: Radzevillius

* **Dux Radzevilius, Lithuaniæ Vice-Cancellarius.**

Turcicum vexillum, equumque aureis & gemmeis phalaris inſignem hoſtibus eripit.

Præcipiti tamen ille fuga ſe ſurripit, amni
Quà pons impoſitus, quaque arx Chocimia tutum
Pandit iter trepido. Turma & ſimul omnis ad amnem
Cum Duce fuſa ruit, quærit que in ponte ſalutem
Fruſtra: namque aditum præcluſerat ante Polonus,
Agminéque infeſto prohibet Littavicus *Heros,
Effuſóque premit Turcas. Cadit obvius enſe
Seydius ✠ impacto ſub guttura; clauditur udum
Vocis, iter, tenuique ſono vix verberat auras
Infelix moriens, nec verba incœpta ſequuntur.
Hic & tu Solimanne jaces, Dux optime bello
Turcigenûm; ſparſas dum fortè in prælia cogis
Relliquias; ferro te cominus impetit acer
Bellator, tecum congreſſus, & illa acutâ
Cuſpide tranſadigit, tenui quâ ſe ima meatu,
Laxavit lorica: at tu cum ſanguine fundis
Singultantem animam, liventi abjectus arenâ,
Infandúmque luis ſcelus, & temeraria verba
Chriſticolas contra, ut fama eſt, jactata, Deumque
Chriſticolûm, quem ſpurco audes poſtponere Vati.
Nec minus interea fugientem ad littora Tyræ
Huſſinum inſequitur laxis Sobieskus habenis
Fervidus, exanimemque metum dudum premit, & jam
Jamque tenet, ni mox intra conferta ſuorum
Agmina ſe rapiat celer. Aſt inſignia ſummi
Imperii vexillum auro argentóque coruſcum,
Clarum ubi picta micant Creſcentis cornua Lunæ;
Atque unâ phaleris pretioſum, aureoque lupato,
Tollit equum, atque gravem gemmis Raſivillius enſem,
Ipſe quoque ardenti incendens certamina niſu.

Fuſis ac profligatis hoſtibus, Sobieskius victor Turcarum caſtra repetit, ubi poſt grates DEO de tam inſigni victoriâ ritè perſolutas, hujus Victoriæ fructu potitur

* Princeps Radzevillius.

✠ Seydius & Solimannus, Turcarum præfecti, vulgo Baſſæ, in acie cæſi ſunt.

titur: nimirum magnum videt captorum Turcarum numerum, videt ingentem & pretioſam prædam, quam in caſtris relictam à Turcis totam militibus diſtribuit.

Hoſtibus at tandem cæſis, captisve, Polonus
Victor ovans, repetit caſtrorum immania clauſtra;
Nec pietate minus, quàm bello inſignis; & armis
Sobieskus, Turcæ mox in tentoria lætus
Greſſum infert, juſtasque DEO perſolvere grates
Apparat: Extemplo feſtivis cantibus æther,
Chriſtiadum de more pio, lituisque, tubísque
Perſonat: intonſi reſponſant undique colles;
Gaudiáque ingeminat celſis in Montibus Echo.
Captorum ingentem numerum, & ſpolia ampla Getarum
Quid memorem? Tyrias veſtes; currusque, camelos
Auréaque arma & equos, phalerasque & bellica ſigna,
Tormenta, immenſúmque argenti pondus & auri,
Quæ mox munificus turmis victricibus Heros
Partitur, ſed præcipuum ſibi ſervat honorem
Famæ immortalis, quam nulla oblivia vincant,
Defenſam ob Patriam, divumque altaria ſævis
Erepta Odryſiis, invictæ robore dextræ.
Sic magnus quondam Macedo: poſtquam agmina fudit
Perſarum gazâ ingenti, ſpoliisque potius
Barbaricis, largo donabat munere victor
Bellantes, laudemque ſibi plauſusque ſuorum
Optabat, Majorque animos tollebat ad aſtra.
Ergo age, Magne Heros, regni tutela ſalúsque
Sarmatici; Gentis columenque: & gloria deinceps
Chriſticolæ, Geticæ terror ſplendore triumphi
Magnifico gaude lætus, quem Martia virtus
Promeruit; neu te condigna, tuisque periclis,
Præmia, quæ tibi gratus amor nunc deſtinat, alto
Dedignere ſupercilio; licet edita cœlo
Regalem malit mens promeruiſſe Coronam,
Quam ſibi delatam; capiti impoſuiſſe ſuperbo.

ARGUMENTUM

Octavi Exempli Deſcriptionis Poëticæ.

RHENUS

Ab equeſtribus & armatis Gallorum copiis,
ſpectante, monſtrante, & hortante Rege
LUDOVICO XIV.
Fruſtra obſtantibus
fulminea plumbearum glandium procellâ
ex adverſâ ripâ Batavis;
Incredibili Gallorum virtute,
Et
inauditâ prioribus ſæculis audaciâ,
Ad Tholuſium pagum
Natando tentatus, ſuperatus & trajectus.
Ex Heroico, & tanti facinoris gloriâ digno
P. CAROLI de la Rüe S. J.
Epinicio 2.

EXEMPLUM.

Rex ad ripam Rheni cum ſuo exercitu, rapidum hoc & præceps, profundique alvei flumen trajicere ſtatuens: & Cæſaris ac Romanorum gloriam, novo & inſolito facto: ſuperare meditans.

Ut ſtetit, & validos famoſo in littore MAGNUS
Explicuit cuneos, Rhenumqne immenſa fluentem
In ſpatia & rapido ſurgentem murmure vidit:
Continuo ingentes umbræ, circumflua turba,
Heroûmque altrix menti ſeſe obtulit ætas,
Et mentem ſubitus calor inſilit: ardet inauſum
Moliri facinus, veterumque laceſſere famam

Æmu-

Æmulus, & priſcis unum ſe oponere ſæclis.
Ergo pares gaudens tandem delapſus in hoſtes,
Nec fore cum Batavis, ſed Româ & Cæſare bellum;

Regis ad ſuos Oratio.

Ite, ait, inceptum Franci dimittite pontem:
Hoc egeant aliæ tardo molimine gentes:
Certa mihi vobiſque via eſt, hac quâ via cunque
Eſſe poteſt ferro: tumidos pervadite fluctus,
Ite, fugax Batavus, inimicaque ſentiet undæ
Méque, Deúmque Ducem.

Gallorum nobilium ad transmittendum natatu Rhenum ſeſe accingentium, generoſa & ardens alacritas.

---- ---- Nec plura effatus, & ingens
Lætantûm exoritur clamor, primique petentûm
Laudem aditus: reliquos fortis GRAMMONTIUS anteit,
Agmen agens equitum, loricatóſque maniplos.
Hunc & Borbonidas referens ab origine Reges
VENDOCINUS, Libycæque VIVONIUS arbiter undæ
SUBISIVUSQUE, COESLINUSQUE, & SALLEUS: & tu
THERMIADE, SALLARTUSQUE, & CHAVINIUS audax
ET BRIOLUS, REVELUSQUE, & LEDISGUERIA Proles
SALSIUS, adverſámque haud emerſurus in oram
NOGENTUS ſequitur: tum NANTULIETUS, & ardens
BERNGHENUS, & exanimes mox inter acervos
GUITRIUS hoſtili victor ſternendus arenâ:
Inde alii centum, atque alii, quos æmula virtus
Excitat.

Gallorum in fluvium egreſſus.

---- Olli alacres: quanquam refugique tremiſcant
Alipedes, ventoque tumens immugiat unda,
Invadunt fluvium. Strictis læva inſtat habenis,

Dextera

Dextera ſublato micat enſe, nec uſus in armis
Eſt ſuper. At collum qua thorax preſſior ambit,
Ignivomos texêre tubos, nitrataque flammæ
Semina, ne madido vaneſcant uda liquore,
Implicuere comis & ſummo in vertice geſtant.

Trajectio fluminis.

Jam ſola deſeruere, & jam vacua omnia nutant
Sub pedibus: tumido lymphas ruit ungula pulſu,
Incertúſque jubas ſonipes quatit, & caput alto
Arduus hinnitu: vix illum fræna coercent
Frendentem, & patulis ructantem naribus undas
His adeo incenſis numero plauſúque ſequentum
Ripa recedebat longè, mediúmque tenebant
Infrænum curſu vaſtáque voragine flumen.

Batavi ex adversâ ripâ ſe offerunt, ut Gallorum trajectum prohibeant: ingenti catapultarum fragore in eos detonant: miſſilium globorum fulmineâ grandine illorum plurimos occidunt.

Ecce autem è latebris acies inimica repentè
Cum ſonitu erumpens, & barbarico ululatu,
Adverſum obvallat numeroſo milite littus.
Mox, patriam ulciſci quando pudor ultimus urget,
Præcipitant in aquas, & certa in vulnera proni
Sulphureum excutiunt cannis feralibus imbrem
Fit fragor, ignito ſtridens it limite plumbum
NOGENTI in frontem, ruit ille, hauſtúſque fluento
Morte perit geminâ: Paribus cadis undique fatis
Turba frequens, mixtíque viris, paſſimque ſoluti
Per medios rapiuntur equi: ſpumantia fervent
Cœrula, & emotis exæſtuat amnis arenis.
Horrendum! ſcirent ſi quidquam horreſcere Galli.

Galli ad primam illam ſuorum cædem animoſiores facti, Rhenum trajicere pergunt, in adverſam fluminis ripam erumpunt, Batavos in fugam vertunt.

Aſt illi capti inſidiis ſubſiſtere primùm,
Dum coëat latis diſperſum fluctibus agmen.
Tum certi inter ſe; collectóque impete, læti
Mille minas inter volucriſque tonitrua flammæ

Depro-

Deproperare viam, & cæco vada ſternere curſu;
Inſtigant ſtudiis ſocii; & ſpectator adauget
MAGNUS. Hic irato luctantes aſpicit amni
Agnoſcitque ſuos: & quas ipſe indidit artes,
Quos animos, quas antè manus in bella, per æſtus
Perque hyemes fictis toties formavit in armis,
Nunc uſu probat, & vero diſcrimine gaudet.
Ilicet, haud telis & adacto ſaucius igne
Terga dedit Batavus: cunctantem audacia victrix
Expulit. Incurrunt juvenes, auroque potiti
Perrumpunt aditum, atque alto ſe gurgite tollunt
Manantes rivis nec ſegnius arma frementes.
Quæ nunc prima loquar? Famamne remota petentem
Terrarum, & plenâ fluviorum effracta ſonantem
Clauſtra tuba? refugóſne ſua in penetralia Manes,
Nudatos titulis, & priſcæ laudis honore?
An magis immenſam bellantûm ex ordine gentem;
Totaque ſub Signis Ducibusque natantia Caſtra,
Jam docili Rheno, jam langueſcentibus undis?
An Potius cæcâ inſidias in valle parantem,
Arboribus tutum, dubiisque anfractibus hoſtem;
Mille viros? huc immiſſis erumpere frænis
Nobilium impavidam, turmâ licet impare, pubem
Scrutarique vepres gladio, paleisque revulſis
Cominus extremos Batavum ſtimulare furores?

ARGUMENTUM

Noni exempli Deſcriptionis Poëticæ.

LUDOVICI XIV. GALLORUN REGIS

Proluſiones bellicæ,
ſeu veri, per ficta prælia,
ad expeditiones bellicas apparatus;
quibus Gallica Nobilitas pro ludo bellum
habebat:

ludum

Ludum poſteà pro bello habitura;
Et Rex Sapientiſſimus,
Ludum ſerium, & ridentes hoſtes,
Eodem tempore ludebat.

Ex primo P. Caroli de la Ruë Epinicio.

EXEMPLUM.

Rex Nobilitatem Gallicam, prætorianas cohortes, & alias Regni militares copias ſub ſigna cogit, & rei bellicæ palæſtram inſtituit.

Objicit inſuetas Hiſpanis artibus artes;
Occultumque ſtruit belli ſub imagine bellum.
Ergo viros ad ſigna vocat: concurritur: omnis
Emicat impatiens, & corripit arma juventus.
Ipſe palatinas acies, prætoriáque inter
Vexilla, & lituum ſonitus, fremitúſque tubarum.
Sole ſub ardenti, planiſque in vallibus heros
Informat reſides animos, diſcitque docendo
Durum opus, & ficto mentem certamine paſcit.

Ludicra certamina aliique labores bellici, quibus inſtructæ in campo acies à rege exercebantur.

Nunc jubet effuſis aciem decurrere campis:
Nunc ſtare, aut junctis glomeratam incedere turmis:
Nunc ſpatiis mixtos equites concordibus ire,
Aut flexos ſinuare orbes, gradibusve repreſſis
Exultare ſolo, & ſubitos obvertere vultus:
Mox quoque direptis per prona per alta volare
Enſibus, aut certas tubulis explodere mortes,
Præcipiteſque rapi, curſúque laceſſere nimbos.
Inde locum foſſis munire, & cingere vallo
Caſtrorum juvat in morem: juvat addere caſtris
Excubias, vigileſque ſolo traducere noctes,
Aut duro tenues in ceſpite carpere ſomnos.

Macte iſtis Lodoice animis, perge omine tanto
Et tibi & optatas Gallis portendere lauros.

Nunc

Nunc veteres pompas ludorum in prælia mutas,
Et rigidum inducis læta in ſpectacula Martem:
Mox quoque cum fines, Morinos, & Nervia vero
Mœnia Marte petes, fortémque urgebis Iberum,
Sic bellum tibi ludus erit, faciléſque ſequetur,
Quo tuleris te cúnque, comes Victoria nutus.

Hiſpaniæ hoc tamen inſueto bellicorum ludorum apparatu tandem expergefactæ, ac territæ motus & querelæ, atque ad intempeſtivas ejus querelas reſponſio.

Audiit ex alto Pyrenes verrtice feſtos
Ludentum ſtrepitus pompámque Hiſpania vidit:
Defixíſque oculis mirata: tot horride pilis
Agmina, tot criſtas galeis fluitare comantes,
Tot rutilis phaleras veſtéſque nitére lapilis,
Tot lætos in equis juvenes: Et luditur, inquit,
Hæc ſibi poſitis Gallus facit otia curis.
Luditur, at magnos parient hæc otia motus:
Nec vanum ludi pars magna, fatebere ludum.
Sæpe manu virtus quid Gallica poſſet & armis,
Te Juſtus, Juſtíque parens ter maximus olim
Henricus, docuere: tamen licet hactenus æquo
Te non Marte parem clades non una probaſſet,
Jam dudum inſtantem potuiſti avertere caſum
Conſilio melior. Lodoïco ſcilicet uni
Laus fuit hæc ſervanda; & magnis debita fatis
Conſilióque manúque tuos contundere faſtus.

Scenæ mutatio: bellum ex ficto verum, & ex ludicro terribile.

Nec mora jam litui, jam rauco tympana pulſu
Inſonuere: volat ſpe fervidus, arvaque Gallus
Flandrica & Hannonias ruit improviſus in arces,
Jamque adeo ingenti fremere undique viſa tumultu
Belgica, jam patrii circumrugire leones,
Arrectiſque horrere jubis: ſimul alta fragore
Miſceri nemora; & triſtes ululare cavernæ,
Flandrigenúmque procul Scaldis regnator aquarum
In mare præcipites urgere fugacior undas,
I modo, regales Hiſpania deſpice ludos.

Com-

Compatatio elegantiſſima. Feſtivi certaminum luſus, quibus Rex bello mox inferendo proludebat, conferuntur cum illâ coruſcatione fulgurum, quàm tonitrui fragores, & excuſſa è nubibus fulmina mox conſequuntur.

Sic trifidos ignes, & ineluctabile telum
Si quando iratus mundi arbiter, humida rumpens
Nubila, ſubjectas hominum molitur in arces
Ipſe prius tremulis denſâ in caligine ludit
Fulguribus; volucrique polum circumvolat auro:
Mox rutilum per iter, rapidisque micantia flammis
Erumpit ſpatia, & magna ruit impete fulmen.
Vim tamen haud minuit ſplendor, nec inania jactat,
Murmure gens longè tremit omnis, & ardua fumant
Sylvarum, ac ſubito diſſultant ſaxa fragore.

ALIA DESCRITIO

In argumento non multum diſpari, nempe iſto:

Martius Gallorum ad bellum Batavicum apparatus, & Hollandiæ,

Gallicorum Armorum metu perterritæ, conſternatio.

Ex Fœderati Belgii Proſopopœja, à P. Joſepho Charonier S. J. verſibus, Heroicâ Muſâ dignis conſcripta.

EXEMPLUM.

Gallorum exercitus ex Italis, Anglis, Germanis, Pyrenæorum montium accolis, ac præſertim ex conſcriptis per totam Galliam hominibus conflatus.

Inun-

Innumeras LODOICUS agis ſub ſigna phalanges
Potoresque Padi, diviſoſque orbe Britannos:
Et quos, Rhene, lavas, & quos alis alta Pyrene,
Examen durum: & virtus queis patria cordi eſt,
Ardentes animis Gallos, certaminis omnes
Præclaræque necis, ſi Gloria poſcit, aventes.
Scilicet in pugnas his ſub ductoribus ibat
Bellatrix manus, ut, viſis in fata ruentum
Tot procerum exemplis, tantóque ſub Auſpice, lucis
Oſores fuerint, contemtoréſque pericli.

Gallici Exercitus Ductores.

Ibat ovans animi primis jam victor ab annis
TURENIUS, cœlum meruit qui fortibus auſis;
Tantum Marte potens, quantum ſi pectore in uno,
Longævo viridis cum Neſtore viveret Hector,
Túque tot everſis per mille pericula muris,
Totque manu erectis quocunque ex hoſte trophæis,
Ingens CONDIATE, cui non celebrare timetis?
Qui, quocunque moves, tibi vectigalia ſemper
Victrices tollis Bellonæ præmia lauros
At ducibus Ductor ſimul extulit ora PHILIPPUS,
Spem reliquam rebus nullam mihi fecit in ægris,
Quem meritò agnovi, frueter dum munere pacis,
Delicias orbis, bellorum at tempore fulmen,
Quoque edocta malis loquor, UNO FRATRE MINOREM
Ac velut incertam traherent ea nomina cladem;
Regum ſummus apex LODOIX præit ipſe magiſter;
Hic eſt, hic ſapiens ſemperque invictus Achilles,

QUI GENUS HUMANUM GENIO SUPERAVIT ET OMNES
PERSTRINXIT STELLAS* EXORSUS UTI ÆTHERIUS SOL.

* Lucretius.

Hollandiæ de avertenda à ſe imminentis, atque adeò jam tonantis belli procellâ, ſollicitudo anxia, & querelæ.

In caput adſpexi ſimul impendêre procellam.
Ad miſeras tremebunda preces deſcendere fruſtra
Suſtinui, & dictu digna & non digna paciſci.
Quos ego non Reges adii? quas volvere curas?
Quos verſare dolos? furias quás ſpargere demens
Ceſſavi? quæ non auri argentique talenta
Profudi? quibus aut odiis lachrymiſve peperci?
Extremam rebus ſi poſſem avertere peſtem.
Quantum ô noluerim jam non revocabile verbum
Emiſiſſe furens, fortunaque ebria dulci!
Omnis at incaſſum me ſpe deluſit inani
Conatus, potui tantos poſt irrita niſus,
Flectere non Superos, non dirum Acheronta movere.

Comparatio, quâ junior taurus ad robuſtioris & terribilis adverſarii conſpectum, præ metu fugiens, eleganter confertur cum Batavis, Ludovici Regis fortitudine, & Gallicorum armorum timore perculſis, ac belli contra Gallos aleam ut ſibi infauſtam, & ominoſam adverſantibus.

Qualis in herboſa meditatur prælia valle
Taurus, cui tenera tollunt ſe cornua fronte,
Lanigerumque pecus cernens dare terga, ſuperbis
Exultim, & vani paſcit ſe laude triumphi.
Quem contra frendens ſi ſe tulit obvia tigris,
Ille dapis pugnæque haud jam memor, ilia curſu
Pulſat anhelanti, & magnæ ſe ſubripit iræ,
Sic ego, quæ genti circùm imperitâre ſolebam
Finitimæ, vix dum conſpecto milite Franco,
Conſiliis animiſque cado;

ARGUMENTUM
Decimi Exempli Deſcriptionis Poëticæ.

Armorum Trophæum.
Poſt debellatum à Venetis Turcam, ad conſecrandam poſteritari hujus Victoriæ memoriam erectum.

Ex

Ex integro de hoc argumento Poëmate, à P. Renato Rapino S. J. in Venetorum laudem conſcripto. Ex occaſione Societatis JEſu Venetias revocatæ, ac priſtinis muneribus reddita.

EXEMPLUM.

Erigendi trophæi locus deligitur; operis ſocii deſignatur: invocatur Patronus: apta ad opus materia ſecernitur.

Primus ego (hanc veſtris quando victoria palmam
Annuit) egregio meritæ pro laudis honore.
Littore in Adriatico, veteri de more, trophæum
Inſtituam: ſocii circum qui carmina dicant,
Spectabunt, Sacris redimiti tempora vittis:
Frondentémque ferent pompæ ad ſolemnia laurum.
Tu dum rem patriam, dùm magna negotia tractas
Cum Franço, Venetis orator miſſus ab oris,
Italiæ clarum decus, heroïimque propago,
O JUSTINIADE, tenuis de ſibila Muſæ,
Feſtarum ſtrepitus inter reſonare tubarum,
Et laurum hanc veſtro ſeſe immiſcere triumpho.
At mihi compoſitis quæ ſtet ſublimis in armis
Non abies quærenda, aut ramis ardua quercus:
Vulgaris pompa hæc fuerit vulgaribus armis.

Primum Trophei Monumentum.

Turcæ ferocis, & militaribus armis inſtructi, ſimulacrum ingens.

Sicubi præcelſa eſt, ipſo ſub littore, rupes,
Quæ ſummas alto ſe vertice tollat in auras,
Hanc ego deciſis, quà prominet undique, ſaxis
Componant Turcæ in ſpeciem, cervice ſuperbâ,
Omnes qui ventos, omnes qui terreat auras
Immanemque humeris immanibus ex orichalco
Aptabo loricam, ingens quam deſuper umbo,
Aut picta è lævo pendebit parma lacerto

Pro galeâ, ſumma imponam ſub fronte, tiaram
Carbaſeum, Scytici quod Thrax ferus accola ponti
Tegmen habet capiti, per longa volumina plexum,
In tergum obliquus deſcendet acinacis, ipſi
Ductori pugnæ ereptus, bellique magiſtro
Hac ſub rupe ferox faſtu, torvúſque videri,
Thracibus indutus mihi ſtabit truncus in armis:

Secundum Throphæi Monumentum.

Armorum omnis generis, pretioſarum veſtium, aliarúmque ejuſmodi rerum Turcis ereptarum congeries; juxta ſimulacrum mixtim & confusè diſpoſita, montium prætereà, urbium, fluviorum, marium, inſularum, ubi Veneti contra Turcas feliciter pugnarunt, ſimulacra è metallo conflata; & diſtinctis aptiſque locis collocata.

Ante pedes ſcuta, & galeas, captivaque ſigna
Threicio miles Venetus quæcunque tyranno
Eripuit fractoſque arcus, enſéſque recurvos,
Tela virûm, atque haſtas deponam rupe ſub imâ;
Congeriem armorum immenſam, Mavortiáque æra,
Et peltas, fractamque in peltis cornua Lunam.
Addam & opes pelago paſſim exundante receptas,
Et gazam, ac veſtes gentis monumenta profanæ
Barbarici luxum decoris, Phrygioſque tapetas;
Monteſque, & fluvios, deſcriptaque bella metallo.
Addam urbes pelago victas, magnumque fluentem
Boſphorum, & undantem bello, armorumque tumultu
Attonitum ac toto trepidantem gurgite Pontum,
Pandentémque ſuos portus, victique tyranni
Triſtes relliquias, ſaxa in latebroſa, vocantem.
Inſuper & bello defenſam, ac Marte ſecundo,
Natali inſignem Jovis, ut fert fabula, Cretam
Adjiciam, & Phrygiis ululatam matribus Idam,
Et Tenedum, ac mœſtas tot cladibus æquore toto
Cycladas, & ferri, ut quondam, in diverſa timentes.

Tertium Trophæi Monumentum.

Laurus ingens, inter ſurgentes circa illam aliarum arborum truncos Turcicis ſpoliis onuſtos, & laureata Venetorum Ducum ſimulacra, qui palmaria bellicæ virtutis facinora, pro tuenda adverſus Barbaros Reip. dignitate, & majorum gloria ediderunt; inter quæ ſimulacra Alexandri VII Pontificis Maximi; bellum contra Turcas & verbis & opibus inſtanter urgentis, eminere debet ſtatua.

Sub ſcopulo, mihi laurus erit procera Trophæum
Ingenti feſtæ obtentu quæ frondis inumbret
Deſuper, & virides incurvet plurima ramos:
Unde ſibi victor, partâ pro laude, coronam
Decerpat, veſtrique ornent ſua tempora vates.
Erectos circum præcingi hoſtilibus armis
Præcipiam truncos, inimicaque nomina pingi;
Atque Ducum ſimulacra, ſuo qui ſanguine laudem
Hanc patriæ peperere, omnes frondente coronâ
Inſignes caput, inque armis fulgentibus omnes,
CONTARENUS, ovans animi, ſpoliisque ſuperbus,
Partem opere in tanto egregius ſibi victor habebit.
Túque mihi longè ante alios, cui puppe ſub alta
Dum turbas adverſum hoſtem, dum prælia miſces,
Fluctibus Oceani in mediis, pugnâque ſub ipſâ,
Contigit & cadere, & turcam ſuperare cadendo,
O MARCELLE, mihi totus ſplendebis in auro,
Funere pro tanto, meritæ pro munere laudis,
Terrores, vaníque metus, trepidique pavores
Sub pedibus, vincti nodis poſt terga, jacebunt,
Et mortis formido, & inexorabile lethum.
Nec te adeo, ſi quid poterunt mea carmina, famæ
Eximet ulla dies, tam pulchra morte peremptum,
Ille autem, tali pro fato, inſigne, volantem
In clypeo portabit apem, quæ in prælia tendat
Bellatrix, animamque ipſo in certamine fundat;
Læta ſuo felixque hoſtem ſi funere perdat,
Nec tu carminibus, MOCENICE, tacebere noſtris,

Sive altum invadis ratibus mare, ſeu rapis ardens
Totam aciem ad pugnam; Turcamque infanda furentem
Proturbas, ſpatiôque incluſum cogis iniquo,
Seu fugientem urges. Quin te miſerande jacentem
Ottomane ductor claſſis, jam pulvis haberet
Reſperſum tabo, & projectum in littore truncum;
Ni fuga disjectum, cedentemque æquore toto,
Et turpis pavor, & venti in diverſa tuliſſent.
Inmedio ſublimis erit, cui ſidera parent
Infernique lacus, Latiâ de gente Sacerdos,
MAGNUS ALEXANDER, Veneto nam primus in hoſtem
Jungit opes acuitque animas, & ſuſcitat iras.

Quartum Trophæi Monumentum.

Hoſtium nudæ & exarmatæ naves in littore; ſpoliati & vacui currus in pulvere; jacentia in ſolo tormenta bellica; roſtra navium ad Divi Marci poſtes affixa; pendentia è ſummo ejus templi faſtigio militaria Turcarum vexilla; Donaria ex auro Turcico & manubiis, in Lauretanæ Virginis ſacrâ æde repoſita.

Captivæ toto ſtabunt ſub littore naves
Remigio & velis exutæ atque omnibus armis,
Nec non & victi currus in pulvere inanes,
Et belli tormenta ſolo poſtrata jacebunt.
Ereptas at opes, avulſaque roſtra carinis,
MARCE, tuos figam ad poſtes; inimicaque ſummi
Pendebunt vexilla, alto de vertice templi.
Ipſa mihi demum hoſtili donabitur auro,
Laureti magnæ VIRGO quæ præſidet arci,
Ut fortes in tanta animos exordia rerum,
Inſpiret Veneto, fauſto dum Marte tuetur
Spes Italas, Latioque hoſtem, & Laurentibus arvis
Submovet, ac longè Ponti inter clauſtra repellit.

Ultima Trophæi Gloria.

Venetorum Victoria heroico Poëtæ cantu celebrata: Poëtæ epigraphe æreis Laminis inciſa,

Ipſe

Ipſe autem populis ſaxo ſublimis ab alto
Facta recenſebo Venetæ virtutis, & omnem
Fortunam & caſus belli, eventúſque ſecundos,
Quæque mari, vobis pugnando exhauſta, ſub ipſo;
Dicam hoſtes pelago domitos, urbéſque receptas,
Et toto latè diſperſos æquore Turcas,
Fumanteſque Aſiæ, veſtro ſub milite, campos
Æterno demum cælabo hoc carmen in ære
Barbariæ prædam gentis, Regíſque ſuperbi
Exuvias, atque hoc ſpoliorum inſigne trophæum
Victori Veneto, domito pro Thrace, recepti
Antiquo tandem hoſpitio, & tellure potiti
Ponimus, ac tantum grati ſacramus honorem.
Hi noſtri reditus, hæc ſunt pro munere veſtro,
Quæ vobis, memores animi referenda paramus
Felices, ſi fors populum Patreſque mereri
Contingat faciles, & conciliare merendo.
Nec vobis tantùm turba officioſa venimus,
Ut cœlo palmas læti tendamus inermes,
Ante aras, dum bella gerunt, quibus arma gerenda:
At medios etiam, contemta ut luce, per hoſtes,
Intrepidi rerum, magnæ myſteria Romæ:
Et ſanctos ritus, genti portemus Eoæ:
Atque triumphatum Chriſti ſub legibus orbem
Cum populis auronæ, & regibus, & victis Diis,
Heſperiam in magnam, & capitolia ad alta trahamus.

Bellicis Deſcriptionibus ſatis multis, quas heroicis quidem Victorum laureis, ſed cruentis ornatas propoſui, amœnas, floridas, & nil niſi blandum & amabile ſpirantes ſubjicio.

ARGUMENTUM

Undecimo Exempli Deſcriptionis Poëticæ.

HORTI CIRAÆI

A. P. PETRO MAMBRUM S. J.

deſcripti & exquiſitâ Poëticorum florum elegantiâ admirabiliter ornati.

EXEMPLUM.

Cœli & Solis ingenium.

Mollior hîc cœli facies, hîc largior æther
Veſtit odorato florentes lumine campos.
Blanditiis rerum, & felici munere Floræ
Dignus amore locus ſeſe venientibus ultro
Objicit, & ſenſus blandè graſſatur in omnes,
Alcinoo nec ſe tanti pomaria jactent,
Nec Veneri dilecta ſuæ Cinyreia regna.

Horti ſepimentum.

Non altæ medium foſſæ, non mœnia circum
Ivere; aut altis inſtant à turribus arces,
Nulla domus, nullæ pendenti tegmine ſedes.
Nam neque decuſſum metuit de nubibus imbrem,
Aut rapidos ſoles, hyemēmve Aquilonibus actam.
Quippe illic ver perpetuum, lucesque ſerenæ,
Et molles Zephyrorum animæ; teneráque ſub umbra
Motantis ſylvæ ſecti per gramina rivi
Deliciis manant, & largo nectare currunt.
Ergo littoribus, lucíſque habitatur opacis.
Planitiem molli quæ ſe demittere clivo
Gaudeat, innexis ambit per mutua ramis
Tonderi patiens, & ligno ductilis arbor;
Ante alias, Jaſme, priſcis Apiaria ſæclis,
Nativo lentore ſequax; tum lætus honore
Lentiſcus triplici, & Paphiæ gratiſſima Myrtus.
Huc operum artifices, hortenſi, & in artæ magiſtræ
Acceſſere manus, nimiam quæ forfice duriâ
Luxuriem hinc illinc cædant ramosque ſequentes
Inſtituant varios animantum ducere vultus.
Hic tonſas inter frondes crura omnia ſolvit
Cervus, anhelanti ſimilis: per dorſa, per armos,
A capite in duplices funduntur ramea lumbos
Cornua, in excelſo riget auris vertice, & omnes
Excubat in ſtrepitus, omnesque inquirit in auras,
Inde canum manus emicat, in ſævum ille latratum

Totus

Totus; hiat, tritos alter veſtigat odorâ
Nare humilis calles, hic pectora lata, pedesque
Arduus in primos, veſtigia cæca videtur
Elapſi ſenſiſſe feri. Labor omnibus unus
Affectare viam, facies non una, nec unus
Impetus. Inſtat eques curvo venatur in ære,
Incenditque canes, illum non foſſa moratur,
Non ſaltus. Pedites circum fremuere, manuque
Voceque dant animos, & proni corpore currunt,
Parte alia horrendum latè ſus frendet & hirtis
Horridus in ſetis ſpumas agit ore, molares
In falcem dentes lunantur, acumine duro,
Peſtis acerba canum. Quorum illi vulnere longo
Per tereses coſtas, perque ilia & intima ventris,
Aut ægras poſuiſſe putes, aut ponere vitas,
Ecce alius cæſo dependet inutile pondus
Poplite crus, aliis humeri luxantur inertes,
Funcreæ ſi quis cædis, plaga ve cruentæ
Sit purus, ſani ſi corporis integer, ille
Spémque inter celerem medius, tardumque timorem
Cunctatur ſimul & rapitur, ſimul inſtat, & hæret;
Tantum irâ ringit. Sævi diducta minantur
Labra inter dentes & amaro gutture fauces
Non ita venator, ſed tantâ in cæde ſuorum
Torvus acerba tuens, tordis nudata lacertis
Brachia, & ingenti criſpat venabula ferro,
Setoſumque apri meditatur in ictum.
Quid memorem Tygres, vario quid tergore Lynces,
Informesve urſos, aut ſævos ore Leones?
Cætera quid referam? magicas quæ ducta per artes,
Venantumque animos acres, iraſque ferarum
Dant legere, atque locum pictâ cinxere coronâ.

Horti Diſtributio.

At facies cultu interior, luxuque beatam
Vim facit illecebris; ſed enim dimenſa viarum
Prætexit ſuccis arbos, quæ manat odoris,
Aſſyriis Nardus, Thanhææ Cinnama genti,
Balſama Judæis ſudantia, Thura Sabæis,
Et caſia, atque omnis Nabathæi copia ruris;

Quatuor in primis ſpatio divortia juſto
Ingentes ſecuêre vias, totidémque dedêre
Fronte ſub adverſâ & juſto diſcrimine partes.

Prima Pars dextrorſum

Flores Coronales.

Prima ſub Eoo nitet, & felicibus Euris,
Quam tenui introrſum partitur limite centum
Trames in areolas, ſtant quarum in vertice centum
Pulvilli, & totidem adductâ tellure quadrantur.
Hic totas oſtentat opes, gazæque ſuperbæ
Divitias, totumque ſinus Dea Flora decorem,
Ultro aperit. Violæ hîc ſublucet purpura, & albâ
Hic facie candet viola altera, & altera flavet:
Atque ſui Narciſſus amans, miſſusque ſub auras
Candentem croceis pingit cratera capillis,
Nec non & teneris Hyacinthus, nomina Regum
Inſcriptus foliis, multâ ferrugine lucet.
Quo lethi extortes Amaranthos carmine dicam?
Aut te quæ vitæ retinens, formæque perennis
Integra, durando vivacem Neſtora vincis?
Lilia quid referam? toto quæ vertice gentem
Supra humilem florum vertuntur; lactea quorum
Tempora ridenti radiant evincta coronâ.
Altera nec deſunt humili convalle petita
Lilia virginibus Celtis, argentea crines,
Crinibus & nexas nitidis argentea baccas.
Florali de gente nihil, non flammea triplex
Purpureas virgata comas, non Iris odora,
Non teneri deſunt Anemonæ veris amores.

Pars ſecunda ſiniſtrorſum

Labyrinthus.

Floribus ad lævam Zephyro ſuppoſta tepenti
Pumila buxus erat ramos, quæ tonſa comantes
Serpebat vario in Labyrinthum Dædala flexu.
Mille trahit, retrahítque ſinus, mille orbibus orbes
Implicat atque vias totidem. Non pervius illis

Ad capita eſt callis, portis panduntur utrúmque
Ad latus: introrſum invitat quæ ſemita; longè
Abducit, veteremque novâ ſpe fallit, & intro
Admiſſis ſemel, ac cæcum in penetrale receptis
Egreſſum miſeris negat irremeabilis error.
In medio nigra ex Ebeno, & candenti Elephanto
(Inter quæ tenui diſcrimine linea currit
Aurea, & in varias mirâ ſecat arte figuras
Areola exacto circùm comprenditur orbe.
Natus Acidalia hic Pario de marmore lævis,
Natus uterque aderant; & qui de nomine Grajo
Olim dictus Eros, priſcis formæ dator; & qui
Æmulus adverſo lætatur nomine frater.
Par utrique decus, par ori gratia, parque
Flos tener ætatis, paria arma, habitúsque minæque
Riſúsque, atque joci, atque leves ſine crimine rixæ.
Lactea purpureus longè per colla capillus
Ibat, & in niveo ludebat pectore; molles
Per læves humeros Zephyris motantibus alæ.
Mille ſub adverſo traxerunt ſole colores.
Cum pharetris teretes arcus in terga rejecti,
Ante pedes jacuere faces, ſparſæque retectis
Luminibus vittæ. Circum ipſi brachia nexas
Implicuere manus, & toto corpore proni
Alternique ſibi arrident, atque oſcula figunt.

Pars Tertia dextrorſum,

Sativæ & Pumilæ arbores.

Tertia pars horti gaudet bene culta ſativis
Arboribus: ſeu quæ molli lanugine poma
Veſtivere, nuces ſeu queis calicem dare cirum,
Et rigido placuit tutari cortice fructus;
Liberius nullam ramis impune vagari
Natura, ingeniumque ſinit. Si quis tamen auſit,
Protinus ars illum ſpatio caſtigat in arcto.
Nec minus interea proventu læta beato
Luxuriat ſylva & grato ſub faſce laborat,
Namque idem (quid enim non poſſunt carmina) ramus
Se primum induit in florem, folioque comanti

Idem

Idem umbras captat, fœtuque ſuperbit opimo.
Quin etiam quo ſe fructus de cortice trudens
In Gemmam tumet, ecce alter pubeſcit eodem,
Atque alius pleno maturat corpore ſuccos,
Ambroſiâ turgent ficus, nudantque retecto
Ubera plena ſinu; ſaturantur nectare mala
Punica, & inciſo riſere putamine grana.
Quid referam ſævo Heſperidum vigilata draconi
Poma auro circum radiata, & Perſide (peſtem
Languenti ſtomacho) longè tellure petita
Huc variâ quidquid ſparſit regione locorum
Hortorum Pomona potens frugiſque repertrix
Arboreæ, pleno congeſſit prodigia luxu.
Hîc floret Pyrus, hîc & cerea copia Pruni;
Hîc ceraſi dulces, & Olivæ Tibure dignæ,
Atque Nuces, & cunctatrix ſapientia Mori.

Pars Quarta ſiniſtrorſum,
Roſetum.

At ſpatio in quarto latè genus omne Roſarum
Felici ſpirat ſylvâ, ſeu purpureus quas
Incendit fulgor, multóque illuſtrat in auro;
Sive nivem quæ nativo candore laceſſunt
Intactam, puroque recens à ſidere lapſam.

Rivus in horti ſuperiori parte.

Præterea nemoris, leniſque crepidine clivi,
Purior electro, nitidiſque argentea bullis
Dives aquæ ſalit, & liquido unda fugit pede, torta
Arboreos inter fœtus ſe corpore flectens.
Succineis atque hinc, longiſque canalibus acta,
Et rivos ſecta in tenues, circumflua plenis
Areolas ripis, & odoriferos pulvinos
Irrigat: æternas tereti cervice reflexa
Purpureis potant labris violaria fontes,
Innumeræ ramis volucres vocalibus errant
Et liquido tenerum demulcent aëre cantu
Tractari faciles, & pictæ tergora pennis.

Fons

Fons in horti medio.

Hortorum ſpatio in medio; quo lata viarum
In ſeſe incurrunt, Pario de marmore labrum
Vix humili plano ſupereminet? audet in orbem
Ire tamen vaſtum. Exterior veſtitur odoro
Ripa Chamæmelo cum Sampſucho, & Calaminthâ
Intus aquæ dulces; & lymphæ ſimplicis unda
Lumine ſub tremulo, puroque ſub aëre ridet.
Concha capax mediam ſubigit ſpumámque triumphat
Circum indignantem nequidquam. Haud aureus illam
Extulit Eoo Gages ſub ſydere. Nempe
Segmentis coiit variis, teſtudine ſectâ,
Murice purpureo; flavis conchylibus, auro
Per medios fuſo nexus, lentoque argento.
Inſiſtit concham Venus (Oceanitide qualis
Emicuit quondam lymphâ: felicius aſtra
Tunc nitido in cœlo; pictis tunc candida terris
Lilia, tunc facili nituerunt æquora fluctu:
Totaque ſe vultu explicuit natura ſereno)
Aurea Cæſaries, Zephyro data præda, nitentes
Lacte humeros infunditur. In membra omnia longè
Textilis it ventus, nebulâve intextus amictus.
Suſtinet hunc lævâ, fluctum ne libet; at ore
Et dextrâ, ſimilis leges & jura roganti,
In vocem pendet, meditataque verba minatur.
Nereidum chorus, atque omnis gens humida ponti
Officiis circum certant; ſpeculum illa ſubinde
Admoviſſe oculis geſtit dominæ, illa flagrantem
Umbellâ prohibet Solem. Pigmenta colores,
Ceruſſæque illis gemmatâ in lente feruntur.
Fœminei gerit hæc Caſtum miracula mundi,
Quem Malacê Nymphas inter doctiſſima nendi
Divinum tenui per fulſum pollice duxit.
Et filis fila intendens per mutua; donum
Eſſe dedit quondam Veneri, propriumque dicavit.
Stamina non hyalo ſatura, aut quæ plurima Seres
Vellera divitibus pectunt pendentia ramis;
Sufficiunt in opus. Rex mole & corpore caſſas

Nobi-

Nobilibus digitis in telam intexit habendo:
Tres indignanti radios immiſcet; amantis
Tres animi, totidémque ſpei, totidémque timoris.
Huc lenes animæ rixas, riſusque querelis
Compoſitos, placidè huc verbis pugnantia verba,
Et teneræ quantum formæ: tantum illa rigoris
Addidit, ac telam lacrymarum temperat imbre.
His atque his inter ſe quæ contraria pugnant
Frontibus adverſis, ullâ haud imitabilis arte
Longinquis exegit opus mirabile ſæclis.
Vim facit ille animis, Divóſque hominéſque feraſque
Omnigenas facili victor ſubmittit amori,
Atque hîc Cymodoce ſoror & ſoror altera Doris,
Atque oculis Hyales glaucis, & lactea Clio,
Spioque, & Xantho pulcherrima Neptunine
Cœrula pro candore nitent. Quibus omnibus exſtant
Et caput, & nitidi crines, & eburnea colla.
Haud Phorcus, Thorcique chorus; Gaudique ſenecta
Hinc aberant, Nereusque pater, Protousque futuri
Præſcius: exultat tremulis Inous in undis
Grandævos inter puer, & delphina fatigans
Mollia, qua libitum eſt, juncis attemperat ora.
Quatuor ad latera inter ſe diſcrimine juſto
Tritones verſas inflant ad ſydera conchas,
Et totidem largis rivos pulmonibus efflant.
Unda micat, quam ſtare putes, enodis ad inſtar
Oblongæque haſtæ; jugis ſic agmen aquarum
Integrat, atque alium ex alio fons ſufficit amnem.
Qui ſummi recidunt latices, ludentibus auris
In teneros fluctus ſpatguntur: vapulat illis
Unda recepta lacu, queſtúque immurmurat æquor,
Tritonum de gente unus, poſtrema coërcens
Agmina, odoratæ magnam jaculatur aquæ vim.
Illa ſub ore DEI, patulóque à turbine conchæ
Altiùs aſſurgens, molli ſe fornice ſenſim
Curvat agens, omnemque adeò (mirabile viſu)
Involvit vitreâ circum teſtudine pompam.
Aëra per purum laxè loca odoribus halant.

ADDITVM HORTIS CIRCÆIS MULTIPLEX SUPPLEMENTUM,

ſeu

Quædam, quæ in Circæis MAMBRUNI Hortis deſiderari videbantur.

Ex eleganti NEOVILLÆ Deſcriptione P. JOANNIS DE BUSSIERES S. J. in hunc locum tranſlata.

SUPPLEMENTUM I.

Attonſæ, paliſque implicitæ, & affixæ parieti arbuſculæ, Gallicè Eſpaliers.

Frugifer eſt paries, fœcundis ſtromata ſaxis
Collucent, murúmque nitens Pomona colorat;
Certatim poma arrepunt, & Perſica magna
Myſta pyris, ſuccúmque bibunt, molémque figurant.
Debilis immenſo nutat ſub pondere ramus.
Allectat oculus pronus, dextrámque legentis.
Scilicet excoquitur maturis Solibus hortus
Penſilis, incendit paries, æſtúmque reflectit.

SUPPLEMENTUM II.

Ambulacrum pergula inumbratum, cui ſpiſſum incumbit Gelſominum.

Sunt etiam illuſtres tenebræ: Sub ſole calente
Nox ſecura latet, ſeſéque illuminat audax,
Gelſominum ferro incumbit: ſub vimine ſedes
Stant fragili æternæ, funduntur mollia circùm
Brachia: clavi hærent, & adhenea pertica fulcit.
Hinc pandi flos tutus amat, fulcróque rependit
Ornatum; verant ferrum, floreſque metallum;
Inſenſum ridet Zephyrus ſub fornice Solem,

Nec timet hoſtiles Hyacintho perfidus iras,
Vernantem obtendit clypeum, radióſque retundit,
Carcere mox grato, Phœbo occumbente, ſolutus.
Hinc vagus inviſit flores, hinc fontibus auram
Miſcet amans: ſuavi Tuberroſa fragrat odore,
Exultat lympha exilens, mollique ſuſurro
Garrula, diffundit ſtillas, & in aëre pendet.

SUPPLEMENTUM III.

Spelunca Conchis Muſivo opere glutinatis, ac varias figuras referentibus contexta & ornata

Includit quas murus opes! quàm divite gaza
Saxa ſcatent! taceat regio Peruvina fodinas,
Nobilius cœnum, & raptum de rupibus aurum.
Hîc terræ ſpolia & ponti miro ordine cernis
Compoſita; artifici picturam hic docta Minerva
Naturæ ſociat. Conchâ hac velut Indica nalci
Margaris, & grato fontis concreſcere rore.
Sæpius hoc defeſſus Arat decumbit in antro,
Miratus fontem nitidum, & conchylia picta;
Et quanqam Nerei vitreas ſpectaverit ædes
Sub pelago; rutilans aurum, roſeúmque corallum;
Spelæi anteferat frigus, lymphæque nitorem.

SUPPLEMENTUM IV.

Terreus agger, in quo conſita cernuntur olera, diſtinctæ areolæ, ampla ambulacra, fons erumpens, pulvini halantes floribus.

Supra amnem, vallemque humilem, ſtat terreus agger,
Complanátque humerum montis: puriſſimus æther
Spiratur, nebularum infra globus albicat ingens
Hinc oculis ſpatium immenſum, quà luce cadente
Phœbus agit currum, & præceps ſe condit in æquor.
Solum ipſum gaudent oculi prævertere curſu,
Sideris emenſi ſtadium, terríſque & Olympo
Momento excurrunt, dum lentior urget Apollo
Ignipedes; tardúſque polo rapiente movetur.

Vernat olus, terrámque capax inveſtit apertam;
Prætexit limbus, Caſiæ Roríſque marini,
Serpyllíque viror, pater amplo ſemita tractu;
In medio viror exundat, lucentque rapetes,
Fons ſalit & facili pariter flumine vitam:
Diducto nil fonte perit, ſibi fluctus in uſus
Sufficit irriguos, cateríque amplior undat.
Nimirùm venis ſubterlabentibus, amnis
Æmulus æterni, fons lymphis prorogat ævum
Perpetuus, curſúſque tenax olera herbida paſcit.
  Aſtra ſolum pingunt, & cœlo lapſa ſereno
Floribus immutant ſeſe, Veſtamque coronant.
Non mihi ſi calami centum, ſi Mantua vocem
Præbeat, aut vatem in carmen Trinacria mittat;
Vos ego depingam, vernæ ſpectacula pompæ,
Et Floræ curantis amor. Quos ore colores
Induitis! vivo ſplendent quàm murice frondes!
Quàm nitet argentum! flavum quàm fulgurat aurum:
Ut tota areolis halat Panchaia veſtris!
Et circùm ambroſium foliis effundit odorem!
Vere novo lucent flores, & vere cadente
Stant flores, primam æſtatem non florea pubes
Deſerit, & mediam florentia gramina cingunt:
Et quanquam ignicomo lethalis Sirius aſtro
Uritur, & ſiccos torrent incendia campos,
Pictus gemmat ager, florendi tanta cupido eſt.
Lympha fugax hilarat trepidanti germina rivo,
Seque vagis pingit diffuſa coloribus; unda
Florea fit; florum populus nutritur ab unda,
Creſcite Narciſſi, Tulipæ: ſuccreſcite Calthæ:
Puniceæque Roſæ! lapſis Anemonibus Iris
Succedat fulgens, pigmentaque gemmea ducat;
Quæ nec Parrhaſius fingat, nec Cous Apelles.
Creſcetis Domino, digno ſua ſidera lucem
Impendant, & terra ferax dona aurea promat.

SUPPLEMENTUM V.

Pomarium geminum, alterum grandiorum, alterum pumilarum arborum.

Hic Pomona tuis veſtit ſe frondibus arbor,
Cerrarim hic tua dona nitent. Quid ſingula dicam?
Quis varias poſſit conſcribere carmine formas,
Picta autem extremùm, gratóſque ſapores?
Ut primum gelidis Sol aureus emicat arvis,
Jamque Aries ardet, Naturáque tota vireſcit.
Erumpunt gemmæ, prodit ſe turgidus humor
Brachia per toróſque artus, digitóſque micantes.
Nobilis inde tumor florem parit, undique ſerta
Floribus illucent, miratur Flora colores,
Séque putet vinci; ramos niſi veſtiat ipſa
Circùm aër fuſus, nitido candore coruſcat.
Murice purpureo fulget, ſubluſtri amethyſto
Pingitur, & vini rutilum bibit aura nitorem.
Succedunt folia, & ramis vernantibus unus
Eſt color; in viridi Pomona refulget amictu.
Quàm varius gratúſque viror! dilutior illic
Emicat, hìc fuſcus; glauco nova prænitet arbor,
Hæc praſino, vitream Nerei petit illa colorem,
Ærugo hanc tingit; nihil eſt diverſius uno.
Dein fructus ſeſe expandunt, ſublimis Olympo
Excoquit humorem, & ſuccum maturat ab æſtu
Sol radians! color imbuitur, ſapor abditus intrà
Creſcit, & incoctis ſplendent viridaria pomis.
Una arbor frondes, fructus, & florea miſcet
Dona ſimul; fulgent ramis argentea dona,
Aureaque, & vincunt hyemes viridantia dona:
O ſpecioſa àrbos! ſeu te conſeverit hortus
Heſperidum, & rutilo conflarit poma metallo,
Præmia ſeu Veneti fueris, curenti Atalentæ
Seu nemora, Alcinoi ſe te pomaria pangant;
Six felix, longúmque virens diffundere in ævum.
Vos etiam nani pumilo ſub vertice trunci,
In flores fructuſque itis, nec falce ſupinâ
Decuſſi, curtæ cepiſtis tædia vitæ,
Quin etiam ramus ſpatio breviore coactus,
Porteri tua cura, ferax ſuccum ebibit altè,
Fœnuſque approperat, primis maturior annis.
Vertumnus nuper tentando hanc extudit artem,
Naturam luſit, vana incrementa fefellit,

Et reſecans majora dedit. Jam parturit arbor,
Nata recens, Premiturque tener ſub pondere ramus
Ingentes quærit frondes Natura, nec usquam
Invenit, adſtricto ſtipat nova brachia gyro.
Sed brevis eſt ætas: & ſunt compendia vitæ,
Quæ fuerant fructus. Nempe hanc mortalia legem
Accipiunt; cito denaſci vel non cito naſci.

SUPPLEMENTUM VI.

Ambulatio proceris hinc inde tiliis inumbrata, juxta quam rivus uberem aquam per lapideum alveum, ad irriganda prata vehit, & fluido limbo ambulacrum prætexit. Philomelæ cantus: Echo reſponſans.

Conſurgunt tiliæ, geminato in margine verſu,
Porrectæ ſpatio immenſo radicibus imis
Terram amplectuntur feriúntque cacumine nubes,
Frondoſis circùm funduntur in aëre ramis,
Intexúntque umbram foliis; ſupra irritus æſtum
Sol quatit, umbroſa Zephyrus ſpatiatur in aulâ.
Inſonat è ramis planctu Philomela canoro,
Nidumque ædificat, miſcet certamina cantor
Plumeus, exili fundens de gutture queſtus
(Sive dolore actus, ſeu Zelo, aut tactus amore)
Mirificos, centúmque ſonos vox evibrat una,
Ora tenent circum volucres atque auribus hærent.
At non Nympha loquax extremæ vocis imago,
Conticuit, mediâ reſonans de rupe loquuta eſt;
Exhibuitque ſonos, jamque indignatur aëdon
Æmulus, arguto modulans nova ſibila cantu.
Fitque hoſtis ſuus, & victor ſeſe ipſe laceſſit.
Hinc rivus celeri tilias præterfluit undâ,
Maturatque fugam: flumen piget ire canali
Saxeo, & admotos non interviſere truncos.
Quanquam obſtat fugienti arbor, frondesque caducas
Ingerit, & molli concludit ab aggere fluctum.
Prata infra vernant, ſublimes ſtirpibus herbæ
Luxuriant, facili ductu diſpergitur humor,
Infunditque animam: lucent ſuper herbea flores
Agmina, cærulei, candentes, lutea picti
Ora croco, Tyrioque nitent in murice tincti.

ARGUMENTUM

Duodecimi Exempli Deſcriptionis Poëticæ.

STATUÆ

Hortorum ornamemtum

Ac nominatim

ÆNEÆ STATUA,

Quæ in Hortis Burgheſiis Romæ viſitur,

LAURENTII BERNINI OPUS,

Deſcripta, & Joanni Rotgero Torkio

Propoſita

A Reverendiſſimo Celſiſſimoque

PRINCIPE FERDINANDO

EPISCOPO PADERBORNENSI

COADJUTORE MONASTERIENSI

S. R. I. PRINCIPE.

Comite Pyrmontano, Libero Barone

DE FURSTENBERG.

EXEMPLUM.

Torcki noſter Amor, doctarum prima Sororum
Gloria, ſpes patriæ magna decúſque tuæ,
Aſpice Bernini docto ſpirantia cœlo
Marmora, Phidiaco par opus ingenio,
Aſpice Trojugenam curvâ cervice ferentem
Et partem, & profugos (ſacra paterna) Deos.
Has pius Æneas, parvo comitatus Jülo,
Subtrahit incenſæ relliquias patriæ,
Quis dolor è muto ducit ſuſpiria ſaxo!
Qualis in inflexo vertice regnat amor.

Ut

Ut lapis ipſe ſuæ præſagus fata Crëuſæ
Sentit, & impoſitum ferre laborat onus!
Et trahit Aſcanium flentem! comes ille paternæ
Non potis eſt æquis paſſibus ire fugæ.
Ut miſerans captæ fumantia mœnia Trojæ
Effigies tantis ingemit ægra malis!
At ne Berninus vocem daret arte querelis,
Obſtitit infandus, qui premit ora, dolor.

Ex ungue Leonem agnoſce: Ex hac licet exiguâ, ſed miris elegantiæ Poëticæ veneribus aſperſâ Deſcriptione, quam in majoribus Poëmatis ingenioſus, quam elegans, quam Poëticâ ſit Laureâ & Parnaſſi Imperio dignus celſiſſimus Princeps Ferdinandus Furſtenbergius, Amice Lector, intellige. Quod ut tuo tibi judicio conſtare poſſit; en! aliam ejusdem Celſiſſimi Principis Deſcriptionem, ex longiori Elegia excerptam, quam is ad Amicum Franciſcum van der Vecken, Societaris noſtræ, SS. Theologiæ Doctorem & Profeſſorem, ſcripſit.

ARGUMENTUM

Decimi tertii Exempli Deſcriptionis Poëticæ,

Inſigniora Urbis Romanæ
cum veteris tum novæ monumenta,
ſeu
Veterum Urbis Romanæ monumentorum
ſuperſtites reliquiæ
&
Magnifica, quæ extant,
Novæ & hodiernæ Romæ monumenta.

Ex Elegia Celſiſſimi Principis.
FERDINANDI FURSTENBERGII
EPISCOPI PADERBORNENSIS, &c.

EXEMPLUM.

Veterum urbis Romanæ monumentorum, quas temporum vel hominum labefactavit injuria, ſuperſtites etiamnum reliquiæ.

Me juvat antiquas urbis ſpectare ruinas,
  Quà ſeptem gen[illegible]is eminet alta jugis.
Hic ego verſarum ſtupefactus imagine rerum,
  Relliquias magnæ matris & oſſa lego,
Heu mihi! quæ fuerat populis æterna Latinis
  Credita, nunc molis pondere victa jacet.
Qui ſumptus operum, quanti periere labores?
  Peſtis in exitium non ſatis una fuit,
Longa dies; & Mars gentis pater, inſuper ipſe
  Mulciber has olim fregit & uſſit opes.
Defenſam vigili proſpectans anſere rupem:
  Majeſtas, dixi, priſtina rupis ubi es?
Pulſabat cœlum moles: Hyperionis ignem
  Æquabant radiis aurea tecta ſuis.
Jupiter hîc ſtabat multo ſpectabilis auro
  Et triſida ex auro lamina fulmen erat.
Quæ nunc hoſtiles paverunt omnia flammas;
  Vix reliqua eſt magni parva favilla rogi.
Me quoque Cæſarei tangit fortuna Theatri,
  Dignaque non ullo forma perire die.
Heu confuſa loci facies! lacera omnia: nuſquam
  Forma prior: culmen ceſpes & herba tegit.
At cum ſtabat opus: quid erat ſpecioſius illo?
  Scena voluptatis, nec minus artis erat.
Millia quot nunquam campis eduxit apertis,
  His pariter vidit Roma ſedere locis.
Quid, quod odoratis redolebant pulpita nimbis,
  Et Soles contra lutea byſſus erat?
Nec ſemper ſimilem referebat arena paratum:
  Nunc ſylvæ ſpecies nunc erat ille maris.
Nec ſemper lex & ratio certaminis una;
  Diverſum pro re munus arena dabat.
Spectabat populus (populum Mars ille juvabat)
  Sæpe homines pugna, ſæpe coire feras.

Fama

Fama loci ſupereſt, & qualiacùmque videmus,
  Disjectæ molis fragmina nomen habent.
Et querimur, ſi nos morti debemur, & umbris;
  Cum rapiant ipſos hæc quoque fata Deos?
At labor Agrippæ, templum commune Deorum
  Splendoris retinet ſigna vetuſta ſui.
Corpus adhuc quamvis ſpoliatum cultibus exſtat:
  Nuda ſatis per ſe forma decoris habet.
Materiam ſuperat, quicquid manus addidit illi:
  Credibile eſt, omnes hîc habitaſſe Deos.
Inſtar habet cœli; cœlum quoque maxima Mater
  Nunc facit: hic aris præſidet ipſa ſuis.
Cætera quid memorem veterum monumenta laborum,
  Queis ætas pretium fecit & artis amor;
Seu Trojane tuam, ſive Antonine columnam,
  Parta ſolo vobis præmia, parta mari:
Aut quas Pyramidas miſit trans æquora Memphis,
  Aut ævo tritas, Appia ſaxa, vias,
Aut quos Roma ſuis poſuit victoribus arcus,
  Sive Tito, meritis ſive Severe tuis.
Flaviades medio conſpexerat aëre ſignum:
  Signum quod bello vinceret, omen erat.
Vicit & undantem vidit pons Milvius amnem,
  Stragibus obſtructo tardiùs ire vado.
Arcu etiam poſito celebravit Roma triumphum:
  Sed quid non vitiat, comminuitque dies?
Qui fulſit ſpoliis, ſpolium quoque temporis idem eſt,
  Et leve quid, de quo fama loquatur, habet,
Hæc audita tibi pridem, Franciſce, ſed aures,
  Ut puto, nunc ſubeunt gratiùs illa tuas.
Olim oculos ſubitura tuos, quando Arbiter orbis
  Præſentem rebus te volet eſſe ſuis.
Tunc ego te viſo, flamma propiore caleſcens,
  Invadam vultum ſæpe, premámque tuum;
Appren amque manum ſtringam, totamque per urbem
  Lætabor notâ ducere poſſe viâ.

Magnifica Romæ novæ & hodiernæ monumenta, quæ ſucceſſere antiquis, temporum vetuſtate vel hominum injuriâ, collapſis.

Me juvat intereà, dum nos ſperata morantur
 Gaudia: carminibus viſa referre meis.
Scilicet invitant ævi monumenta recentis,
 Aſpectûque rapit me nova Roma ſuo.
Quæ Divi medias ingreſſa palatia nubes
 Stat Vaticano ſuſpicienda jugo!
Quæ, Jovis Elai nil concedentia fano
 Templa! thólus cœlum, quâ decet arte refert,
Quæ ſola! quæ fornix! quæ firmant tecta columnæ!
 Quàm variæ! nil par, qua patet, orbis habet,
Dein ubi me molli ſenſim juga Cælia clivo
 Accipiunt, Thuſcis trita, Vibene, tuis:
Ut me Pontificum ſedes auguſta priorum,
 Ut Laterana tenet: Flaviadæque domus!
Divinus templo decor eſt: laquearia fulgent
 Aurea marmoribus ſtrata ſuperbit humus.
Relliquias Solymum monſtrant ex ære columnæ,
 Cùm fuit urbs vitio digna perire ſuo.
Hîc ubi Cæſarei ſuperant monumenta lavacri,
 Quo ſpirant violæ, ſpirat odore lapis.
Hîc ubi quinta ſacrum deſignat Olympias annum
 Sancta ter impulſo cardine porta patet,
Porta patet cœli pariter: jus namque per orbem,
 Servat idem Divûm, Romulidúmque domus,
Frontem alibi ferro Cæſar redimitus & ære
 Prodeat: hîc auro fulva corona datur.
Si lubet Exquilios ſpatiando viſere colles,
 Hîc memor æſtivæ me tenet ara nivis.
Felix, quæ poſito deſcripta eſt area templo!
 Conveniens Divæ moribus illa fuit.
Nil nive candidius, nec cui pulcherrima ſurgunt
 Limina, non purâ purior ipſa nive eſt.
Hîc me ſuppliciter pacem, veniamque precantem
 Audiat: hæc votis æqua fit ara meis.
Hîc (ita ſim felix) videat me Roma ferentem
 Prima Sacerdotem dona, Deúmque DEO.
Inde Quirinalem cùm me via duxit ad arcem,
 Ante aditum quos hîc Roma locavit equos!

Arme-

Armenii donum Regis, dignúmque Nerone,
  Phidiacâ ſculptum Praxitelisque manu.
Igneſcunt, quamvis rigido de marmore, nares;
  Hinnitum clarè tollere penè putes.
Et, niſi ſentirent Macetæ domitoris habenas,
  Pene putes curſu vincere velle Notos.
Admorſis ſpumam credas albere lupatis;
  Plauſáque diffuſas ſpargere colla jubas.
Tales, quos olim medios ruiturus in hoſtes
  Ad bijuges currus Mars ſibi junxit, erant,
Tales, quos Zephyro genitos Harpyja Podarge
  Non leve Pelidæ munus habere dedit.
Hîc mihi ſcribendi veniat ſi carminis ardor,
  Nil morer alipedem Bellerophontis equum.
Morte Caballino facier me Roma Poëtam,
  Quosque bibam fontes ungula pulſa dabit.
Non hîc Phæacum ſylvas umbrasque requiro,
  Non nemora, aut hortos, Theſſalis ora, tuos.
Hîc Tempe mihi ſunt: & quos fert India flores,
  Quasque ſibi ſegetes Medus Arábsque legunt.
Cùm Soles ardent, terræque ardore dehiſcunt,
  Hic mihi dat frigus ſylva: nemúsque facit.
Si formam geniúmque loci, ſi dicere pergam
  Singula, dicendi quæ mihi finis erit?
Tollitur æthereas frondens obeliſcus in auras:
  Ramorum ſimulat tonſilis umbra feras.
Armiger ipſe Jovis terras depreſſus in imas
  Emicat, & viridi fulmine terret aves.
Æſoniden mediis Argo (quis credat!) in hortis,
  Auratóque gravem vellere vectat ovem.
Prora viret, puppisque: virent pendentia malo
  Vela, virent remi: tranſtra, forique virent.
Qui fuit Heſperidum vigil ad pomaria cuſtos,
  Has etiam cuſtos excubat ante fores.
At nullum, quicquid linguâ vibrante minetur,
  Sauciat: innocuo corpore verrit humum,
Terga notant maculæ, ſed enim maculoſus adumbrat
  Terga frutex, criſtam muſcus, & herba facit.

Quid tibi nunc amnes referam, fonteſque, lacuſque,
Najadum gelidas humida regna, domos?
Ingenium ſacris irritent vina poëtis;
Ingenium nobis hic quoque lympha facit.
Ut puro calices hilarent convivia Baccho,
Optima res puræ vena perennis aquæ.
Quid tibi ſit Tepulâ, quid Agrippæ gratius undâ
Aut quæ Pelignos Martia findit agros;
Nunc alias iuiere vias, populóque Quiritum,
Pontificum ſolæ pene bibuntur aquæ.
At neque jam Tepulâ nec Agrippæ ducimur undâ,
Nec quæ Pelignos Martia findit agros.
Tu me (tanta tuæ laus eſt virtúſque ſcatebræ)
Vel viſu recreas, candida Virgo, tuo.
Tu dulcis, frigenſque ſitim ſolaris & æſtum,
Et meliùs medicis hauſtibus ora levas.
Tantùm, Virgo, tuæ (namque id candore mereris)
Virginibus pateant, & ſitiantur aquæ.
Et me felicem (neque enim tibi nomen inane eſt)
Quæ merito felix diceris unda, facis.
Ubertas telum fœcundaque divite cornu
Copia, qua placido volveris amne, venit;
Quin etiam talos à vertice ſanus ad imos
Qui tua delibat munera, ſæpe redit.
Tu quoque Romuleam Burgheſia lympha per urbem
Labere, quà ducto fornice facta via eſt.
Labere, qua præſtans pulchrâ teſtudine & arcu,
Excipiet latices porticus alta tuos.
Ecce ſuâ tibi ſe ſubmittit Janus ab arce;
Et Numa te tumulum gaudet obire ſuum,
Ut Vaticanas intraveris advena ſedes,
Hic domus auſpiciis apta futura tuis.
Candidus & Pario ſtructus de marmore crater
Te manet, unde tuas ejacularis aquas.
Jam ſi Pamphiliæ memorem molimina gentis,
Quas huc, quas miſit Nilus & Iſis opes!
Ardua ſtat moles, & ſaxo fulta cavato
Pyramis audaci ſurgit in aſtra viâ,

Arcanis inſcripta notis, quas diſcere præſens
  Gaviſa eſt ætas, diſcere ſera volet.
Hic Bernine, tui cœli labor inclytus, imâ
  Parte ſedens, tantum ſuſpiciuntque decus!
Et Tiberi Ganges, nec non argenteus amnis
  Et famulas ſubdunt Nilus & Iſter aquas.
Candida rorantem commendant marmora vultum,
  Candida ſubmiſſum ſuſtinet urna latus.
Ælia Romanæ quid propugnacula pacis
  Exequar, & gyro mœnia tuta ſuo?
Vallorúmque minas, tormentáque fuſa metallo
  Impulſu nil non frangere nata ſuo?
Hic fragor audiri, qualis cum Jupiter atras
  Increpitat nubes, & ſua tela jacit.
Hic Mavors, quamvis non omni tempore cuiquam
  Lethifer, excuſſu plurimus igne furit.
Præcipuè cum lux illi ſacrata recurrit,
  Cui debet ſolium maxima Roma ſuum:
Cui pater omnipotens uni dedit atria Divûm
  Pandere, & appoſitâ claudere poſſe ſerâ.
Venerat ille dies, & jam venientibus umbris
  Ceſſerat, ac dubiæ tempora Lucis erant.
Tum vero cœlum jactis igneſcere telis,
  Et ſcintillantes vidimus ire globos;
Et pluvio latè conſpergi tecta Quiritum
  Sulphure, & horrificos æra ciere ſonos.
Mox tenebras nigro propiores creſcere fumo
  Et fumum volucres diſſecuiſſe faces,
Quin etiam innocuo percuſſum fulmine Tybrim
  Audiimus mediis exſiliiſſe vadis.
Ille diu ſtrepitu flammiſque exterritus hæſit,
  Expertæ memorans tempora ſævitiæ:
Ut Nero flammâ Vulcanum ſparſerit urbe,
  Et nova Troja novo luxerit uſta rogo:
Ut conjurato, ſociis amentibus ignes
  Prætulerit patria fax Catilina ſuæ:
Ut fuerit Geticis urbs quanta eſt, morſa favillis,
  Hauſerit & Latias Vandalus acer opes.

Hanc

Hanc tibi lætitiæ Scenam (Romane) quotannis
Exhibet illa tuo lux operata Patri
Talia luſtrantem plus me tamen afficit ingens
Chiſius Hetruſcæ gentis & Orbis amor,
Cui Vaticani * delata eſt purpura regni,
Utque reor, trinus tempora cinget apes, &c.

* Fabius Chiſius, qui tunc Cardinalis erat, poſtea factus ſummus Pontifex, Alexander VII. eſt appellatus.

Ab urbe, ubi nos tam jucundè, Ovidianâ, Tibullinâ, & quavis alia ſuavior Celſiſſimi Principis Muſa detinuit; rus iterum concedamus, ubi illum in Seceſſu Tiburtino cum Amico Torckio doctè & ſuaviter otiantem; & ejusdem ſeceſſus amœnitatem ab eodem Torckio elegantiſſimis verſibus deſcriptam videbimus.

ARGUMENTUM
Decimi quarti Exempli Deſcriptionis Poëticæ.

Seceſſus Tiburtini amœnitas Ad Principem Ferdinandum Furſtenbergium
Authore Joanne Rotgero Torckio, Præpoſito Mindenſi, Canonico Paderbornenſi & Monaſterienſi.

EXEMPLUM.

O Jucunda quies! ô blanda papavera ſomni,
Et pia letheis frons medicata vadis!
Callida nocturnas oculis properare tenebras
Dum mediis cœlo Sol calet altus equis.
Vidimus hanc tacito tua ſpargere tempora ſucco,
Et geminas una condere nocte faces.

Fuſus

Fuſus erat, memini, vitreas Anienis ad undas,
  Curva quibus gelidum vallis opacat iter.
Officioſa Salix Phœbi ſummoverat ignes:
  Pictáque nativum ſtruxerat herba torum,
Denſa ſoporifero nutabat ſylva ſuſurro,
  Miſcebántque leves amnis & aura jocos.
Et volucrum liquido ſuetarum fluminis alveo
  Mille dabant varios guttura mille ſonos.
Talis in Acteis juvenis Theſeius umbris
  Concidit hirſutos ſternere feſſus apros.
Talis & avectum ſopor eſt complexus Jülum,
  Didoni ſtrueret cum Venus alma dolos;
Et bene cognatos ſimulante Cupidine vultus
  Idalias premeret languidus ille roſas.
Aſt ego nunc amnem, tua nunc vigil ora tuebar;
  Nunc in Callimachi verſibus omnis eram:
Nunc mihi fingebam maturas Solibus uvas
  Ad gelidos fontes prætereuntis aquæ,
Purpureóſque avido ducebam gutture ſuccos,
  Sæpe mihi tales dent mea fata dies.
Quærat avarus opes, paret ambitioſus honores:
  Sit procul à tanto noſtra furore quies.
Quid, miſer, auriferi medio tibi proderit Hermi
  Gurgite Tantaleam ſemper hiare ſitim?
Quid Siculas valles, montíque propinqua Veſevo
  Mille boum gemitu vertere rura juvat;
Horrea ſi creſcens tibi rumpit & ilia meſſis,
  Téque ſimúlque tuas arca flagellat opes?
Aurea ſollicito tibi ſpumant pocula Baccho,
  Et vigiles noctes lectus eburnus habet.
Priſca quies tacitis nemorum ſe condidit umbris,
  Et colit anguſtos vita beata lares.
His mea pauperies populo ſecreta latebris
  Regales animo divite vincet opes.
Sed neque longævis nemoralis Aricia lucis,
  Nec liquido cepit me vetus Alba lacu,
Inclyta Romulidûm quondam Præneſte voluptas
  Nunc ſitit, & nudis horret ubique jugis:

Ex-

Explicat urbanos opulentia Tuſcula luxus,
Sed nimiâ adſcitus diſplicet arte decor.
Tiburis Herculei nobis juga candida rident:
Stat mea judicio Flacce Camœna tuo.
Hîc veniunt ſegetes, veniunt feliciter uvæ:
Autumno hîc gravidus divite gemmat ager,
Hîc non falſâ ſuis oleagina ſylva colonis
Palladios colles & juga ſumma tenet.
Ipſa quoque aſperitas & rupibus inſitus horror,
Temperat ingenium deliciasque loci.
Quid loquar, ut nitidas Anio pellucidus undas
Volvat & electro purior arva riget?
Jámque vago curſu, & lapidoſa exercitus irâ,
Mollior Herculeos lambere geſtit agros.
Et veluti flabris criſpatum lenibus æquor,
Compoſitæ repens otia ludit aquæ:
Cum ſubito lapſu barathrum ruit omnis in imum,
Condendum inferno jam Phlegethonte putes,
Rorantes canâ latrant aſpergine cautes,
Et furit horribili ſpuma Aniena ſono.
Mox vaſto exeſi ſorbetur montis hiatu,
Præcipitatque trucem per cava ſaxa fugam.
Trunca jacent ripis ſæcli monumenta vetuſti.
Et premit informes alta ruina domos.
Hæc Mœcenatem ſpirant, hæc rudera Flaccum,
Rudera Pieriis deveneranda ſacris.
Hic illa imperio Romani par Lyra mundi
Subdidit Italico carmina Graja jugo.
Hac obſcura ſpecû ſtimulante Sibylla caleſcens
Numine fatidicum ſæpe canebat epos.
Excitus hiſce adytis venit in præcordia Vatum
Fervor, & acceptis ignibus oſſa calent.
Parte alia vaſtæ ſemeſa cadavera molis
Sparſa per Argæos conſpiciuntur agros:
Quâ tua magnanimâ labor improbus arte coëgit,
Fucine, per dociles ire fluenta vias:
Auſus & obſtantis perrumpere viſcera montis,
Roma peregrinis ut frueretur aquis.

Hic

Hic utinam æſtivos liceat mihi concedere Soles,
Veſanus Latios cum Leo torret agros;
Icariique canis vapor atrox incubat urbi,
Et ducunt mœſtæ funera crebra viæ.
Hinc reducem, inverſo ſignis pluvialibus anno,
Excipiat modico Roma beata lare:
Et procul à ſtrepitu fumóque volubilis aulæ
Claudantur taciro gaudia noſtra ſinu.
Sic placidis annis, & amœno carperer ævo,
Et fluerent niveâ ſtamina noſtra colo.
Sed quid agis? tibi vana miſer quid ſomnia fingis?
Quid rapido jactas irrita verba Noto?
Te ſua Hyperboreus revocat ſub plauſtra Bootes:
Sæva Lycaonii te manet axis hyems.
Sæpe dies ſolidos patriis pulſabere nimbis,
Sæpe rigens glacie, vel nive canus eris.
Bocta Ceres Tiburtino ſuccedet Jaccho,
Spumoſaque cadet fæce perempta ſitis.
Parva queror: fugimus Phœbumque novémque ſorores,
Et mea Pegaſeus deſeret ora latex.
Jam mihi Perrhæbi nemora evaneſcere Pindi,
Jam dubius condi nube videtur apex:
Caſtalis mihi triſte, Vale, jam redditur antris.
Mœſtaque ſupremæ vocis imago redit,
Nubiferas gradiar ſine te, FERNANDE, per Alpes,
Dimidiaque animæ parte carebo meæ.
Quáque ſacras vidi quercus, monteſque moveri,
Me linquet Clariæ vox tua miſta lyræ,
NATALISQUE tui cultiſſima Muſa Latinas
Quam procul heu noſtrâ tendet ab aure fides?
Docta FAVORITI nobis muteſcet arundo,
Tritaque bucolicis labra canora modis.
Fata reluctantes rapiunt, dicúntque volentes;
Non moror, auſteram ſponte vorabo viam.
Vos remanete, quibus pronâ Fors annuit aura,
Molliter in gremio poſſe curbare ſuo.
Vivite felices, ævumque agitate ſerenum,
Quæque vehit veſtras provehat aura rates.

Divus

Divus ALEXANDER Superûm juſtiſſima cura,
Orbis amor, Romæ vita decusque ſuæ,
Vincit ut Eloquio, ſic Neſtora vincat & annis,
Utque beat juvenes, vos beet ipſe ſenes.
Me mea fata trahant, caſusque trahántque per omnes;
Me ferus Arctoo demetat enſe furor.
Me petat ipſa ſuis glacialis rictibus Urſa:
Lætus ALEXANDRO ſoſpite cuncta feram.
Cúmque ſevera meos evolverit Atropos annos,
Lætus ALEXANDRO ſceptra tenente cadam,
Soſpite ALEXANDRO mea molliter oſſa cubabunt,
Atque favilla levi noſtra premetur humo.

Hic eſt ſeceſſus, quem in Tiburtino ita ſuſpexit ante paucos annos Torckius, Germanorum Poëtarum decus: & cujus pulchritudine capta ejus Muſa, coram Germanici Parnaſſi Apolline, Principe ſcilicet Ferdinando Fürſtenbergio, quem præſentem intuebatur, in hos, quos legiſti modo, verſus prorupit. Addo aliam integræ Manliani Tiburtini Villæ Deſcriptionem, olim à Statio Papinio elucubratam, & inter Sylvas ipſius Poëticas editam, in qua nemo eſt, qui non ſit Statianæ Poëſeos œſtrum, majeſtatem, elegantiam admiratus.

ARGUMENTUM

Decimi quinti Exempli Deſcriptionis Poëticæ.

Tiburtinum,
Seu villa Tiburtina
Manlii Vopiſci.

Ex Statii Papini Sylvarum Lib. 1.

EXEMPLUM.

Tiburtini æſtivum frigus, tum ob ſylvas & ædes, quæ Solem arcent, tum ob fluvium medias præterlabentem ædes, qui frigus invehit.

Cernere

Cernere facundi Tibur glaciale Vopiſci.
Si quis, & inſerto geminos Aniene penates,
Aut potuit ſociæ commercia noſcere ripæ,
Certantesque ſibi dominum defendere villas;
Illum nec calido latravit Syrius aſtro;
Nec gravis aſpexit Nemees frondentis alumnus.
Talis hyems tectis, frangunt ſic improba Solem
Frigora, Piſæumque domus non æſtuat annum.

Tiburtinæ Villæ domus à voluptate deſcripta, à Venere ornata, ab Amoribus incolis frequentata.

Ipſa manu tenera tectum ſcripſiſſe * Voluptas.
Tunc Venus Idaliis unxit faſtigia ſuccis,
Permulſitque comis blandumque reliquit honorem
Sedibus, & volucres vetuit diſcedere natos.

Ars & natura ad hunc locum ordinandum certarunt.

O longum memoranda dies! quæ mente reporto
Gaudia! quàm laſſos per tot miracula viſus?
Ingenium quam mite ſolo! quæ forma beatis
Arte manus conceſſa locis! non largius usquam
Indulſit Natura ſibi, nemora alta citatis
Incubuere vadis, fallax reſponſat imago
Frondibus, & longas eadem fugit umbra per undas.

Anio fluvius ſaxeâ hinc inde crepidine exceptus, medias Villæ ædes fornice amni impoſito junctas præterlabitur; & ſua utrinque in ipſis ædibus habet littora ita vicina, ut ex adverſis ripis miſcere colloquia, & pene ſociari manus colloquentium poſſint.

Ipſo Anio (miranda fides) infráque, ſupérque
Saxeus; hic tumidam rabiem, ſpumoſaque ponit
Murmura, ceu placidi veritus turbare Vopiſci
Pieriósque dies, & habentes carmina ſomnos
Littus utrúmque domi, nec te mitiſſimus amnis
Dividit, alternas ſervant prætoria ripas,

* Subaud. fertur.

Non externa ſibi, fluviúmque obſtare queruntur.
Seſtiacos nunc fama ſinus, pelagùsque natatum
Jactet; & audaci junctos delphinas ephebo.
Hìc æterna quies, nullis hìc jura procellis,
Nusquam fervor aquis, datur hîc transmittere viſus,
Et voces, & pene manus: ſic Chalcida fluctus
Expellunt reflui; ſic diſſociata profundo
Brutia Sicanium circumſpicit ora Pelorum.

Interioris domûs Deſcriptio. Aurea ejus Laquearia, januæ: marmora; fontes cubilibus circumfuſi; Aulæ, é quibus gratiſſimus in ſylvas, nemora, ſubjectum amnem, proſpectus patet; thermæ, ſeu balnea calida; Antiquæ ſtatuæ variis metallis arte admirabili conflatæ; eburnea politiſſimi artificii opera; gemmarum pretium; pavimentum variis & exquiſitis figuris diſtinctum; arbor in interiori ædium areâ.

Quid primum, mediumve canam? quo fine quieſcam?
Auratasne trabes? an Mauros undique poſtes?
An picturatâ lucentia marmora venâ
Mirer? an emiſſas per cuncta cubilia lymphas?
Huc oculis, huc mente trahor. Venerabile dicam
Lucorum ſenium? te quæ vada fluminis infrà
Cernis; an ad ſylvas quæ reſpicis, aula, tacentes?
Quà tibi tota quies, offenſaque turbine nullo
Nox ſilet, atque nigros imitantia murmura ſomnos.
An quæ graminéâ ſuſcepta crepidine fumant
Balnea, & impoſitum ripis algentibus ignem?
Quàque vaporiferis junctus fornacibus amnis
Ridet anhelantes vicino flumine Nymphas.
Vidi artes, veterúmque manus, variiſque metalla
Viva modis; labor eſt, auri memorare figuras,
Aut ebur, aut dignas digitis contingere gemmas,
Quicquid & argento primùm, vel in ære Myronis
Luſit, & enormes manus eſt experta Coloſſos.
Dum vagor aſpectu, viſúsque per omnia duco,
Calcabam nec opinus opes, nam ſplendor ab alto
Defluus, & nitidum referentes aëra teſtæ,
Monſtravere ſolum, varias ubi picta per artes.

Gaudet

Gaudet humus, ſuper atque novis aſarota figuris,
Expavere gradus. Quid nunc ingentia mirer,
Aut quid partitis diſtantia tecta trichoris?
Qui te, quæ mediis ſervata penatibus, arbor,
Quo non ſub domino ſævas paſſura bipennes?
Et nunc ignaro forſan vel lubrica Nais,
Vel non adruptos tibi temet Hamadryas annos.

Exteriores Tiburtinæ Villæ deliciæ Stagnum duplici aggere hinc inde coërtium, Anienis fluvii labentes undæ; fontium aquæ plumbeis canalibus per transverſi fluminis medium gurgitem deductæ; multa alia voluptariæ domus ornamenta, quæ omnia ruris Numina ad ſeſe allicere poſſint, quæque ſuperent Alcinoi pomaria, Circæos hortos, &c.

Quid referam alternas gemino ſuper aggere menſas,
Albentéſque lacus, altóſque in gurgite fontes?
Téque per obliquum penitùs quæ laberis amnem
Martia, & audaci transcurris flumina plumbo;
An ſolum Joniis ſub fluctibus Elidis amnem
Dulcis ad Ætneos deducat ſemita portus?
Illis ipſe antris Anienus fonte relicto.
Nocte ſub arcanâ glaucos exutus amictus,
Huc illuc fragili proſternit pectora muſco.
Aut ingens in ſtagna cadit, vitreaſque natatu
Plaudit aquas: illa recubat Tiburinus in umbrâ,
Illic ſulphureos cupit Albula mergere crines.
Hæc domus Ægeriæ memoralem abjungere Phœben,
Et Dryadum viduare choris algentia poſſit
Taygeta, & ſylvis arceſſere Pana Lycæis.
Quod ni templa darent alias Tirynthia ſortes,
Et Præneſtinæ poterant migrare ſorores.
Quid bifera Alcinoi laudem pomaria? voſque
Qui nunquam vacui prodiſtis in æthera rami?
Cedant Thelogoni, cedant Laurentia Turni
Judera, Lucrinæque domus, littuſque cruenti
Antiphatæ cedant vitreæ juga perfida Circes
Dulichiis ululata lupis, arceſque ſuperbæ
Anxuris, &c.

ARGUMENTUM

Decimi ſexti Exempli Deſcriptionis Poëticæ.

HELIOTROPIUM

Ex Lib. Carminum

P. J. COMMIRII, S. J.

Ubi Autor in hujus uniùs Deſcriptione floris, omnes Elegantiæ Poëticæ flores explicuit.

EXEMPLUM.

Illuſtres animæ, quas pulchræ gloria ſortis
Induit in florem, & pictis decus addidit hortis
Sidera camporum, terræque parentis amores,
Cedite: formoſúmque omnes agnoſcite pronis
Verticibus regem, parvoque aſſurgite Soli.
Omnia Solis habet, nomenque, orbémque, colorèmque.
Ardentésque auro radios ignemque ſerenum
Crinis, & innocuâ fulgentem luce coronam,
Indidit & motum ſolers natura, ſuúmque
Eſſe dedit terris (viſu mirabile) Solem,
Conſtanti qui lege dies metitur & umbras,
Attonitôque novum deducit tempus Olympo,
Quin & ſenſus ineſt flori, occultúsque movetur
Illecebris: pulchrôsque fovet ſub cortice duro
Quos radiis Sol ipſe ſuis exſuſcitat ignes.
Ergo ubi purpureo reduces Oriénte quadrigas,
Auratumque videt dilecti ſideris orbem:
Ilicet haud dubiis prodit ſua gaudia ſignis:
Quemque modo exangui moriturum ſtirpe putares,
Nunc caput attollit nitidum, calicisque recluſas
Pandit opes, fulvumque comæ diadema ſuperbæ
Explicat, & cupidè tendit formoſus haberi.
Mox animas efflat molles, pretioſaque amanti

Nubila

Nubila: particulaſque leves de corpore libat,
Ire omnis cupiens, ni votis gleba repugnet,
Innectatque moras. Sed quod licet, aſpicit illum:
Pallidulоque ſuos vultu teſtatur amores;
Eſt pro voce color. Nec amati gratia dolis
Nulla refertur. Et is parili quoque carpitur æſtu
Et flammis calet ipſe ſuis: gaudetque tueri
Quos pinxit radios, ſeque admiratur in illis.
Aſt ubi nulla datur ſpectandi copia floris,
Et cæco obtutus dirimit nox invida velo;
Ille moræ impatiens (quid non amor improbus audet?)
Permeat obſtantes nebulas, radiumque fidelem
Mittit ad abſentem, notis impreſſa figuris
Qui ſua verba ferat, multam exoptetque ſalutem,
Admoneatque ſui, reſponſaque certa reportet.
Ipſe autem quanquam præmiſſo interprete gaudet,
Ni caro datur aſpectu, totâque potiri
Luce datur, lentâ paulatim tabe fatiſcit,
Demittit caput, & poſt aurea lumina Solis
Dedignantem oculum quicquam ſpectare; tenebris
Devovet æternis: nimióque oppreſſus amore,
Efficit ipſe ſuo ſibi dives caule ſepulchrum.

A Flore nemorum, villarumque decliciis ad amœna ludorum ſpectacula tranſeo, & ludicrorum certaminum varias propono Deſcriptiones, quas Poëſeos Candidato nec injucundas, nec inutiles fore exiſtimo. In iis autem exhibebo tria ludicrorum certaminum genera, primum inter homines, ſecundum inter feras, tertium inter volucres. Aliæ fortè ſuccedent ejuſmodi certaminum, ludorumque Deſcriptiones elegantiſſimæ. Harum autem Deſcriptionum, agmen ludicrum, præcedet Ludorum olim in amphitheatris exhibitorum, ipſiusque adeo amphitheatri Deſcriptio; claudent Circenſes Ludi, paucis abhinc annis Pariſiis à Rege celebrati.

Illa loci exterior facies, quam dum advena luſtrat,
Hæret hians, & ſecum: At credo ſæcula patrum
Artifices habuere DEOS! an fabula tandem
Priſca fidem facit, & vaſto ſe corpore tollens
Impoſuit pubes altum Titantia montem?
Non ita, nec tanto ſurrexit crimine moles
Æterna, aſt illam magni ſtatuere Quirites.

Interior Amphitheatri facies, & arca, Ludique in eâ exhiberi ſoliti.

Interiora loci jam contemplator, ubi ingens
Area porrexit latum pugnantibus æquor,
Et patuit cernentum oculis: Quam fortia facta
Ille tulit campus! Quæ non miracula rerum
Explicuit! Curſu quoties ſudavit anhelo:
Hic Leo converſis inimica in prælia Tauro
Frontibus occurrit, rabidæ hic decernere Tigres.
Hîc miſcere Urſis viſi certamina Pardi;
Hâc pugil infelix jacuit reſupinus arenâ,
Et luſiſſe fuit dulcem profundere vitam,
Stultæ ut læta daret moriens ſpectacula plebi.
Heu! nimis ignaræ mentes; heu! dira voluptas,
Nempe viæ deerant fatis, terrâque, marique;
Non Bellona ſatis denſabat funera? non ſat
Unda furens, ſævis & nota aconita novercis?
Inceſtare, nefas! crudelem ſanguine arenam
Juvit, & in triſtes Libitinam inducere ludos.
Hocce erat, immiti quod torvus lumine *a* Pluto
In ſaxo riget, & Cocyti monſtra Dracones?
Quid moror? humanam Ditis ſitit ara cruorem.
Nec non velivoli pugnax maris ivit imago,
(Hîc quoque ludus erat) ruptâque voragine, circum
Erupere novæ, cuneis mirantibus, undæ
Ductus aquæ ſupereſt famâ notiſſimus, illa
Scilicet immani ſumptu molimina pontis
Tergemini, quem tot *b* Gardo miratur ab annis.

a Pluto cum Draconibus in caveâ exſculptus.
b Le pont du Gard.

Poſtquam excepta Thetis campo, podiumque theatri
Ripa fuit; latos humeros nudata juventus
Emicuit flagrans *a* navalis laude coronæ,
Aſpicies falſum Leucaten, Actia bella
In tenui, & roſtris pictas concurrere naves:
Tunc quoque cura fuit parvam vitare Charybdim:
Reſperunt ſcopuli, & verrentes æquora caudis
Delphines luſere; tuum ſic Dædala Pontum
Ambitio, ſic te riſit Neptune minorem.
Interdum & campo ſeſe arduus intulit acri
Vectus equo miles, partitoque agmine turmas
Excepit plauſu caveæ conſeſſus, at illi
Sublimes in equis belli ſimulacra ciebant,
Orbibus alternis docti nunc carpere gyrum;
Æquora nunc per aperta citos convertere curſus;
Nunc conferre gradum, verſiſque occurrere telis:
Sæpe etiam (caſto Dryadum indignante pudore *b*)
Nunc tellure ſua viſæ ſe tollere quercus,
Et nemus umbriferum nudo ſuccedere Circo:
Speluncas virides, fonteſque, ac luſtra ferarum,
Et venatricis ſylveſtria bella Dianæ
Cernere erat, fremitu excitos lethalis arundo
Fixit Apros, victus non uno vulnere cervus
Multa gemens, mœſto ferit ſubſellia queſtu.
Talia ſubjectus populo ſpectacula campus
Exhibuit pugnæ ſpatium nunc paupere cultu
Plebis tecta tenent, apricantéſque puellæ
Arguto teretem torquent ſub pollice fuſum,
Et longum tenerâ ſolantur voce laborem,
Olim ubi bellantûm tremuit pede concita tellus,
Arbuteâ qualis nidos philomela ſub umbrâ,
Et dulces ponit fœtus, ubi fulminis ales
Eridani è ripis raptum diſcerpſit olorem,
Et lacero incubuit ſuper; aut ubi terruit auras
Increpitans noctem ferali carmine bubo.
Ingredere ingentes cryptas, ſpelæa ferarum,

a Naumachia. *b* Venatio.

San-

Sanguine quas ſiccas, rictúque immane frementes,
Qua data porta furor notæ ſiſtebat arenæ;
Ne trepides, *a* Bacchi nunc ſunt hæc dulcia regna,
Immiteſque Lares implet miriſſimus hoſpes,
Queis è cæde recens ſpumas dedit ore cruento
Urſus & ardentes irâ ingemuêre leones.

Jàmne vides, ſenſim ut ſpatium ſubducat in imum
Se moles, mollíque jugum ſubſellia clivo
Demittant; ſancto ne læta Orcheſtra Senatu
Plebejæ turbæ, faſtiditiſque *b* Cathedris
Eriperet viſum, dorsóque extaret iniquo,
Vix decus antiquum *c* Popularia ſumma requirunt.
Atque gradus Equitum medii; eſt Orcheſtra domorum
Deceſſit tectis, terræ & metator avarus
Patritia in parvos mutavit ſaxa Penates;
d Diſſignator abeſt, quid enim plebecula Patrum
Invaſit ſedem, ſpoliíſque exultat opimis?
Num ſcelus eſt (nec te pudeat damnoſa vetuſtas)
Artificum cellis ſellas ſervire curules?
Hæc, quæ multa patent portarum limina, pandunt
At caveam optatos aditus Vomitoria quondam
Dicta, quod undantem vomerent ad pulpita turbam,
Millia bis potuere decem (mirabile dictu)
Spectantum, his gradibus placidum componere corpus;
Nec quiſquam aſpectu mediæ fraudatus arenæ,
Extruſuſque loco, clamoſa in jurgia venit.

Illa autem ſummis adaperta foramina ſaxis,
Deſuper & pinnæ extantes longo ordine, malos
Impactos penitus, protenſaque vela regebant,
Si quando æſtivos inſana Canicula ludos
Ureret, aut exoſa notus ſpectacula turbans,
Grandinis & nimbum & ſubitos effunderet amnes,

a Nunc cellæ vinariæ, ubi olim cryptæ.
b Cathedræ fœmineæ erant in ſummis gradibus.
c Popularia, *Sedes populi.*
d *Diſſignator* ordinibus ſua loca adnotabat. Præcipui Magiſtratus ſedebant ad Orcheſtram in ſellis curulibus.

ARGUMENTUM

Decimi Octavi Exempli Deſcriptionis Poëticæ.

Ludicra Certamina,

Æneæ juſſu ad Anchiſis tumulum celebrata.

Ex Æneidos Virgilii lib. 5.

EXEMPLUM.

Certamen Nauticum.

Expectata dies aderat, nonamque ſerenâ
Auroram Phaëtontis equi jam luce vehebant;
Famaque finitimos, & clari nomen Aceſtæ
Excierat, læto complerant littora cœtu,
Viſuri Æneadas: pars & certare parati,
Munera Principio ante oculos, circóque locantur
In medio, ſacri tripodes, viridesque coronæ,
Et palmæ, pretium victoribus, armáque & oſtro
Perfuſæ veſtes argenti auríque talenta;
Et tuba commiſſos medio canit aggere ludos.
Prima pares ineunt gravibus certamina remis,
Quattuor ex omni delectæ claſſe carinæ
Velocem Mneſtheus agit acri remige Priſtin;
Mox Italus Mneſtheus, genus à quo nomine Memmi;
Ingentémque Gyas ingenti mole Chimæram,
Urbis opus: triplici pubes quam Dardana verſu
Impellunt; terno conſurgunt ordine remi.
Sergeſtúsque, domus tenet à quo Sergia nomen,
Centauro invehitur magnâ; Scyllâque Cloanthus
Cæruleâ; genus unde tibi, Romane Cluenti.
Eſt procul in pelago ſaxum, ſpumantia contra
Littora, quod tumidis ſubmerſum tunditur olim
Fluctibus, hyberni condunt ubi ſidera Cori:
Tranquillo ſilet, immotáque attollitur undâ
Campus, & apricis ſtatio gratiſſima mergis.
Hic viridem Æneas frondenti ex ilice metam

Conſti-

Conſtituit, ſignum nautis, pater: unde reverti
Scirent, & longos ubi circumflectere curſus:
Tum loca ſorte legunt, ipſique in puppibus auro
Ductores longè effulgent, oſtróque decori.
Cætera populeâ velatur fronde juventus,
Nudatósque humeros oleo perfuſa niteſcit.
Conſidunt tranſtris, intentaque brachia remis
Intenti, expectant ſignum, exultantiaque haurit
Corda pavor pulſans, laudúmque arrecta cupido
Inde, ubi clara dedit ſonitum tuba, finibus omnes
Haud mora, proſiluere ſuis, ferit æthera clamor
Nauticus: adductis ſpumant freta verſa lacertis,
Infindunt pariter ſulcos, totúmque dehiſcit
Convulſum remis, roſtriſque ſtridentibus æquor.
Non tam præcipites bijugo certamine campum
Corripuere, ruuntque effuſi carcere currus;
Nec ſic immiſſis aurigæ undantia lora
Concuſſere jugis, proníque in verbera pendent.
Tum plauſu, fremituque virûm, ſtudiiſque faventum
Conſonat omne nemus: vocemque incluſa volutant
Littora: pulſati colles clamore reſultant.
Effugit ante alios, primusque elabitur undis
Turbam inter fremitumque Gyas: quem deinde Cloanthus
Conſequitur, melior remis: ſed pondere pinus
Tarda tenet, poſt hos æquo diſcrimine Priſtis,
Centaurusque locum tendunt ſuperare priorem;
Et nunc Priſtis abit, nunc victam præterit ingens
Centaurus: nunc una ambæ junctiſque feruntur
Frontibus, & longæ ſulcant vada ſalſa carinæ
Jámque propinquabant ſcopulo, metamque tenebant;
Cum Princeps, medioque Gyas in gurgite victor,
Rectorem navis compellat voce Mœneten;
Quò tantùm mihi dexter abis? Huc dirige curſum,
Littus ama, & lævas ſtringat ſine palmula cautes;
Altum alii teneant. Dixit, ſed cæca, Menœtes,
Saxa timens, proram pelagi detorquet ad undas.
Quo diverſus abis? iterum, pete ſaxa, Menœte,
Cum clamore Gyas revocabat: & ecce Cloanthum

Reſpicit inſtantem tergo, & propiora tenentem.
Ille inter navemque Gyæ, ſcopuloſque ſonantes,
Radit iter lævum inferior, ſubituſque priorem
Præterit, & metis tenet æquora tuta relictis.
Tum vero exarſit juveni dolor oſſibus ingens:
Nec lacrymis caruere genæ; ſegnemque Menœten,
Oblitus decoriſque ſui, ſociumque ſalutis,
In mare præcipitem puppi deturbat ab altâ;
Ipſe gubernaclo rector ſubit: ipſe magiſter;
Hortaturque viros, clavumque ad littora torquet,
At gravis, ut fundo vix tandem redditus imo eſt
Jam ſenior, madidâque fluens in veſte Menœtes;
Summa petit ſcopuli; ſiccâque in rupe reſedit.
Illum & labentem Teucri, & riſere natantem;
Et ſalſos rident revomentum pectore fluctus,
Hic læta extremis ſpes eſt accenſa duobus,
Sergeſto, Mneſtheoque Gyan ſuperare morantem,
Sergeſtus capit ante locum, ſcopuloque propinquat;
Nec totâ tamen ille prior præeunte carina:
Parte prior; partem roſtro premit æmula Priſtis.
At mediâ ſocios incedens nave per ipſos
Hortatur Mneſtheus. Nunc nunc inſurgite remis,
Hectorei ſocii, Trojæ quos ſorte ſupremâ
Delegi comites; illas nunc promitte vires
Nunc animos, quibus in Getulis Syrtibus uſi,
Jonioque mari, Maleæque ſequacibus undis,
Non jam prima peto Mneſtheus, neque vincere certo;
(Quanquam ô) ſed ſuperent, quibus hoc, Neptune dediſti.
Extremos pudeat rediiſſe, hoc vincite cives,
Et prohibete nefas. Olli certamine ſummo
Procumbunt: vaſtis tremit ictibus ærea puppis,
Subtrahiturque ſolum, tum creber anhelitus artus,
Aridáque ora quatit: ſudor fluit undique rivis,
Attulit ipſe viris optatum caſus honorem.
Namque furens animi, dum proram ad ſaxa ſuburget
Interior, ſpatioque ſubit Sergeſtus iniquo;
Infelix ſaxis in procurrentibus hæſit.
Concuſſæ cautes, & acuto in murice remi

Obnixi

Obnixi crepuere, illiſaque prora pependit.
Conſurgunt nautæ, & magno clamore morantur,
Ferratásque ſudes, & acutâ cuſpide contos
Expediunt: fractoſque legunt in gurgite remos.
At lætus Mneſtheus, ſucceſſúque acrior ipſo,
Agmine remorum celeri, ventiſque vocatis,
Prona petit Maria, & pelago decurrit aperto,
Qualis ſpeluncâ ſubitò commota columba,
Cui domus, & dulces latebroſo in pumice nidi,
Fertur in arva volans, plauſumque exterrita pennis
Dat tecto ingentem, mox aëre lapſa quieto
Radit iter liquidum, celeres neque commovet alas.
Sic Mneſtheus, ſic ipſa fuga ſecat ultima Priſtis
Æquora, ſic illam fert impetus ipſe volantem
Et primum in ſcopulo luctantem deſerit alto
Sergeſtum brevibusque vadis, fruſtráque vocantem
Auxilia, & fractis diſcentem currere remis,
Inde Gyan, ipsámque ingenti mole Chimæram
Conſequitur: cedit, quoniam ſpoliata magiſtro eſt,
Solus jamque ipſo ſupereſt in fine Cloanthus:
Quem petit, & ſummis adnixis viribus urget.
Tum verò ingeminat clamor, cunctíque ſequentem
Inſtigant ſtudiis, reſonat clamoribus æther.
Hi proprium decus, & partum indignatur honorem,
Ni teneant: vitamque volunt pro laude paciſci.
Hos ſucceſſus alit: poſſunt, quia poſſe videntur.
Et fors æquatis cepiſſent præmia roſtris,
Ni palmas ponto tendens utraſque Cloanthus;
Fudiſſetque preces, Divóſque in vota vocaſſet;
Dî, quibus imperium pelagi, quorum æquora curro
Vobis lætus ego hoc candentem in littore taurum
Conſtituam ante aras voti reus, extaque falſos
Projiciam in fluctus, & vina liquentia fundam.
Dixit, eúmque imis ſub fluctibus audiit omnis
Nereidum Phorcique chorus, Panopejaque virgo:
Et pater ipſe manu magnâ Portunus euntem
Impulit. Illa Noto citiùs, volucrique ſagittâ
Ad teram fugit, & portu ſe condidit alto.

Præmia

Præmia diſtributa.

Tum ſatus Anchiſâ, cunctis ex more vocatis.
Victorem magnâ præconis voce Cloanthum
Declarat, viridique advelat tempora lauro,
Muneraque in naves ternos aptare juvencos,
Vinaque & argenti magnum dat ferre talentum,
Ipſis præcipuos ductoribus addit honores:
Victori chlamydem auratam, quam plurima circum
Purpura Mæandro duplici Melibœa cucurrit:
Intextusque puer frondoſâ regius Idâ
Veloces jaculo cervos, curſúque fatigat:
Acer, anhelanti ſimilis, quem præpes ab Idâ
Sublimem pedibus rapuit Jovis armiger uncis.
Longævi palmas nequicquam ad ſidera tendunt
Cuſtodes, ſævitque canum latratus in auras.
At qui deinde locum tenuit virtute ſecundum,
Lævibus huic hamis conſertam auróque trilicem
Loricam (quam Demoleo detraxerat ipſe
Victor apud rapidum Simoenta ſub Ilio alto;)
Donat habere viro decus, & tutamen in armis.
Vix illam famuli Phegeus Sagariſque ferebant
Multiplicem, connixi humeris, indutus at olim
Demoleus curſu palantes Troas agebat
Tertia dona facit geminos ex ære lebetas,
Cymbiáque argento perfecta, atque aſpera ſignis.
Jamque adeò donati omnes, opibusque ſuperbi,
Puniceis ibant evincti tempora tæniis:
Cum ſævo è ſcopulo multâ vix arte revulſus,
Amiſſis remis, atque ordine debilis uno,
Irriſam ſine honore ratem Sergeſtus agebat.
Qualis ſæpe viæ deprenſus in aggere ſerpens,
Ærea quem obliquum rota tranſiit, aut gravis ictu
Seminecem liquit ſaxo, lacerumque viator,
Nequicquam longos fugiens dat corpore tortus,
Parte ferox, ardensque oculis, & ſibila colla
Arduus attollens, pars vulnere clauda retentat
Nexantem nodis; ſeque in ſua membra plicantem,
Tali remigio navis ſe tarda movebat:

Vela facit tamen, & plenis ſubit oſtia velis.
Sergeſtum Æneas promiſſo munere donat:
Servatam ob navem lætus, ſociosque reductos.
Olli ſerva datur operum haud ignara Minervæ,
Creſſa genus Pholoë, geminique ſub ubere nati.

Certamen Dromicum,
Seu
In quo de curſus laude contenditur.

Hoc pius Æneas miſſo certamine, tendit
Gramineum in campum, quem collibus undique curvis
Cingebant ſilvæ: mediáque in valle theatri
Circus erat, quo ſe multis cum millibus heros
Conſeſſu medium tulit, exſtructoque reſedit.
Hîc, qui forte velint rapido contendere curſu,
Invitat pretiis animos, & præmia ponit.
Undique conveniunt Teucri, miſtique Sicani:
Niſus & Euryalus primi.
Euryalus formâ inſignis, viridíque juventâ,
Niſus amore pio pueri, quos deinde ſecutus
Regius egregia Priami de ſtirpe Diores.
Hunc Salius, ſimul & Patron, quorum alter Acarnan,
Alter ab Arcadia Tegææ ſanguine gentis.
Tum duo Trinacrii juvenes Helymus, Panopesque
Aſſueti ſylvis, comites ſenioris Aceſtæ.
Multi prætereà, quos fama obſcura recondit.
Æneas quibus in mediis ſic inde locutus:
Accipite hæc animis, lætasque advertite mentes,
Nemo ex hoc numero mihi non donatus abibit.
Gnoſia bina dabo lævato lucida ferro
Spicula, cælatámque argento ferre bipennem.
Omnibus hic erit unus honos: tres præmia primi
Accipient, flavâque caput nectentur olivâ.
Primus equum phaleris inſignem victor habeto:
Alter Amazoniam pharetram, plenámque ſagittis

Threï

Threïciis, lato quam circùm amplectitur auro
Balteus, & tereti ſubnectit fibula gemma.
Tertius Argolica hac galea contentus abito.
Hæc ubi dicta, locum capiunt, ſignoque repentè
Corripiunt ſpatia audito, liménque relinquunt
Effuſi nimbo ſimiles: ſimul ultima ſignant.
Primus abit, longèque ante omnia corpora Niſus
Emicat, & ventis & fulminis ocyor alis.
Proximus huic, longo ſed proximus intervallo,
Inſequitur Salius: ſpatio poſt deinde relicto
Tertius Euryalus.
Euryalumque Helymus ſequitur, quod deinde ſub ipſo
Ecce volat, calcemque terit jam calce Diores:
Incumbens humeris, ſpatia & ſi plura ſuperſint,
Tranſeat elapſus prior, ambiguúmque relinquat.
Jámque fere ſpatio extremo, feſſique ſub ipſum
Finem adventabant: lævi cum ſanguine Niſus
Labitur infelix: cæſis ut forte juvencis
Fuſus humum, viridesque ſuper madefecerat herbas,
Hic juvenis jam victor ovans veſtigia preſſo
Haud tenuit titubata ſolo, ſed pronus in ipſo
Concidit, immundoque fimo ſacroque cruore,
Non tamen Euryali, non ille oblitus amorum:
Nam ſeſe oppoſuit Salio per lubrica ſurgens,
Ille autem ſpiſsâ jacuit revolutus arenâ.
Emicat Euryalus, & munere victor amici
Prima tenet, plauſúque volat, fremituque ſecundo,
Poſt Helymus ſubit, & nunc tertia palma Diores.

Præmia diſtributa.

Hic totum caveæ conſeſſum ingentis, & ora
Prima patrum magnis Salius clamoribus implet,
Ereptumque dolo reddi ſibi poſcit honorem.
Tutatur favor Euryalum, lachrymæque decoræ,
Gratior & pulchro veniens in corpore virtus.
Adjuvat, & magnâ proclamat voce Diores:
Qui ſubiit palmæ, fruſtraque ad præmia venit
Ultima, ſi primi Salio reddantur honores,

Tum

Tum pater Æneas: veſtra, inquit, munera vobis
Certa manent, pueri, & palmam movet ordine nemo;
Me liceat caſum miſereri inſontis amici.
Sic fatus, tergum Gętuli immanę leonis
Dat Salio, villis oneroſum, atque unguibus aureis,
Hîc Niſus, ſi tanta (inquit) ſunt præmia victis,
Et te lapſorum miſeret: quæ munera Niſo
Digna dabis? primam merui qui laude coronam,
Ni me, quæ Salium fortuna inimica tuliſſet.
Et ſimul his dictis faciem oſtentabat, & udo
Turpia membra fimo. Riſit pater optimus olli,
Et clypeum afferri juſſit, Didymaonis artes,
Neptuni ſacro Danais de poſte refixum,
Hoc juvenem egregium præſtanti munere donat.

Certamen Cæſtuum.

Seu in quo pugnis res agebatur, ſed armatis. Dimicantium ſcilicet manus armabant Chirothecæ è corio bubulo, ferro aut plumbo variis locis illigato graves, & loris alligatæ brachiis, ne exciderent. Hæ porrò Chirothecæ, quibus inſtructi pugiles dimicabant, cæſtus dicebantur.

Poſt, ubi confecti curſus, & dona peregit:
Nunc, ſi cui virtus animusque in pectore præſens
Adſit, & evinctis attollat brachia palmis.
Sic ait, & geminum pugnæ proponit honorem:
Victori velatum auro vittiſque juvencum:
Enſem, atque inſignem galeam, ſolatia victo:
Nec mora, continuò vaſtis cum viribus effert
Ora Dares, magnoque virûm ſe murmure tollit:
Solus qui Paridem ſolitus contendere contra:
Idemque ad tumulum, quò maximus occubat Hector
Victorem Buten immani corpore, (qui ſe
Bebryciâ veniens Amici de gente ferebat,)
Perculit, & fulvâ moribundum extendit arenâ,
Talis prima Dares caput altum in prælia tollit,
Oſtenditque humeros latos, alternaque jectat
Brachia protendens, & verberat ictibus auras,
Quæritur huic alius: nec quiſquam ex agmine tanto

Audet adire virum, manibusque inducere cæſtus
Ergo alacris, cunctóſque putans excedere pugnâ;
Æneæ ſtetit ante pedes: nec plura moratus,
Tam lævâ taurum cornu tenet, atque ita fatur:
Nate Deâ, ſi nemo audet ſe credere pugnæ,
Quæ finis ſtandi, quo me decet usque teneri?
Ducere dona jube, cuncti ſimul ore fremebant
Dardanidæ, reddique viro promiſſa jubebant.
Hic gravis Entellum dictis caſtigat Aceſtes;
Proximus ut viridante toro conſederat herbæ:
Entelle, heroûm quondam fortiſſime fruſtra:
Tantanè tam patiens nullo certamine tolli
Dona ſines? ubi nunc nobis DEUS ille magiſter
Nequicquam memoratus Eryx? ubi fama per omnem
Trinacriam, & ſpolia illa tuis pendentia tectis?
Ille ſub hæc: Non laudis amor, nec gloria ceſſit
Pulſa metu: ſed enim gelidus tardante ſenectâ
Sanguis hebet, frigentque effœto in corpore vires.
Si mihi, quæ quondam fuerat, quáque improbus iſte
Exultat fidens, ſi nunc foret illa juventa,
Haud equidem pretio inductus pulchróque juvenco,
Veniſſem: nec dona moror. Sic deinde locutus,
In medium geminos immani pondere cæſtus
Projecit: quibus acer Eryx in prælia ſuetus
Ferre manum, duroque intendere brachia tergo.
Obſtupuere animi: tantorum ingentia ſeptem
Terga boum, plumbo inſuto, ferróque rigebant.
Ante omnes ſtupet ipſe Dares longéque recuſat:
Magnanimusque Anchiſiades, & pondus, & ipſa
Huc illuc vinclorum immenſa volumina verſat.
Tum ſenior tales referebat pectore voces:
Quid, ſi quis cæſtus, ipſius & Herculis arma
Vidiſſet, triſtemque hoc ipſo in littore pugnam?
Hæc germanus Eryx quondam tuus arma gerebat;
Sanguine cernis adhuc ſparſóque infecta cerebro.
His magnum Alciden contrà ſtetit: his ego ſuetus
Dum melior vires ſanguis dabat; æmula necdum
Temporibus geminis canebat ſparſa ſenectus.
Sed, ſi noſtra Dares hæc Troius arma recuſat,

Idque

Idque pio ſedet Æneæ, probat auctor Aceſtes;
Æquemus pugnas: Erycis tibi terga remitto:
Solve metus, & tu Trojanos exue cæſtus.
Hæc fatus, duplicem ex humeris rejecit amictum,
Et magnos membrorum artus, magna oſſa; lacertóſque
Exuit, atque ingens mediâ conſiſtit arenâ;
Tum ſatus Anchiſâ cæſtus pater extulit æquos;
Et paribus palmas amborum innexuit armis
Conſtitit in digitos extemplo arrectus uterque,
Brachiaque ad ſuperas interritus extulit auras.
Abduxêre retro longè capita ardua ab ictu:
Immiſcentque manus manibus; pugnámque laceſſunt,
Ille pedum melior motu, fretuſque juventâ:
Hic membris, & mole valens: ſed tarda trementi
Genua labant, vaſtos quatit æger anhelitus artus;
Multa viri nequicquam inter ſe vulnera jactant;
Multa cavo lateri ingeminant; & pectore vaſtos
Dant ſonitus; erratque aures & tempora circum
Crebra manus; duro crepitant ſub vulnere malæ;
Stat gravis Entellus, niſúque immotus eodem,
Corpore tela modo, atque oculis vigilantibus exit.
Ille, velut celſam oppugnat qui molibus urbem;
Aut montana ſedet circùm caſtella ſub armis
Nunc hos; nunc illos aditus, omnemque pererrat
Arte locum, & variis aſſultibus irritus urget.
Oſtendit dextram inſurgens Entellus; & alte
Extulit; ille ictum venientem à vertice velox
Prævidit; celerique elapſus corpore ceſſit.
Entellus vires in ventum effudit; & ultro
Ipſe gravis, graviterque ad terram pondere vaſto
Concidit: ut quondam cava concidit aut Erymantho;
Aut Idâ in magnâ radicibus eruta pinus.
Conſurgunt ſtudiis Teucri; & Trinacria pubes.
It clamor cœlo: primuſque accurrit Aceſtes
Æquævúmque ab humo miſerans attollit amicum.
At non tardatus caſu, neque territus heros,
Acrior ad pugnam redit; & vim ſuſcitat ira,
Tum pudor incendit vires; & conſcia virtus:
Præcipitemque Daren ardens agit æquore toto;

Nunc dextrâ ingeminans ictus, nunc ille ſiniſtra,
Nec mora, nec requies. Quam multa grandine nimbi
Culminibus crepitant: ſic denſis ictibus heros
Creber utraque manu pulſat verſatque Dareta.

Finis certaminis,
Et præmium Victoris.

Tum pater Æneas, procedere longius iras,
Et ſævire animis Entellum haud paſſus acerbis:
Sed finem impoſuit pugnæ, feſſumque Dareta
Eripuit, mulcens dictis, ac talia fatur:
Infelix! quæ tanta animum dementia cepit?
Non vires alias, converſaque numina ſentis?
Cede deo, dixitque, & prælia voce diremit.
Aſt illum fidi æquales, genua ægra trahentem,
Jactantemque utroque caput, craſſumque cruorem
Ore rejectantem, miſtosque in ſanguine dentes,
Ducunt ad naves: galeamque enſemque vocàti
Accipiunt; palmam Entello taurumque relinquunt.
Hic victor, ſuperans animis, tauróque ſuperbus,
Nate Deâ, vosque hæc, inquit, cognoſcite Teucri,
Et mihi quæ fuerint juvenili in corpore vires,
Et qua ſervetis revocatum à morte Dareta.
Dixit: & adverſi contra ſtetit ora juvenci,
Qui donum aſtabat pugnæ, duróſque reductâ
Libravit dextrâ media inter cornua cæſtus,
Arduus, effractóque illiſit in oſſa cerebro.
Sternitur, exanimisque tremens procumbit humi bos.
Ille ſuper tales effudit pectore voces:
Hanc tibi, Eryx, meliorem animam pro morte Daretis
Perſolvo: hic victor cæſtus, artémque repono.

Certamen Sagittarium.

Protinus Æneas celeri certare ſagittâ
Invitat, qui forte velint, & præmia ponit:
Ingentique manu malum de nave Sereſti
Erigit, & volucrem trajecto in fune columbam,

Quo

Quo tendant ferrum, malo ſuſpendit ab alto.
Convenere viri, dejectamque ærea ſortem.
Accepit galea: & primus clamore ſecundo
Hyrtacidæ ante omnes exit locus Hippocoontis:
Quem modo navali Mneſtheus certamine victor
Conſequitur: viridi Mneſtheus evinctus olivâ.
Tertius Eurytion, tuus ò clariſſime frater
Pandare, qui quondam juſſus confundere fœdus,
In medios telum torſiſti primus Achivos.
Extremus, galeâque ima ſubſedit Aceſtes!
Auſus & ipſe manu juvenum tentare laborem.
Tum validis flexos incurvant viribus arcus
Pro ſe quisque viri, & depromunt tela pharetris.
Primaque per cœlum, nervo ſtridente, ſagitta
Hyrtacidæ juvenis volucres diverberat auras:
Et venit, adverſique infigitur arbore mali.
Intremuit malus; timuitque exterrita pennis
Ales, & ingenti ſonuerunt omnia plauſu,
Poſt acer Mneſtheus adducto conſtitit arcu;
Alta petens, pariterque oculos, telúmque tetendit;
Aſt ipſam miſerandus avem contingere ferro
Non valuit, nodos & vincula linea rupit:
Queis innixa pedem malo pendebat ab alto,
Illa Notos atque atra volans in nubila fugit.
Tum rapidus jam dudum arcu contenta parato
Tela tenens, fratrem Eurytion in vota vocavit;
Jam vacuo lætam cœlo ſpeculatus, & alis
Plaudentem nigrâ figit ſub nube columbam.
Decidit exanimis, vitámque reliquit in aſtris
Aëriis, fixamque refert delapſa ſagittam.
Amiſsâ ſolus palmâ ſuperabat Aceſtes:
Qui tamen æthereas telum contorſit in auras;
Oſtentans artem pariter, arcúmque ſonantem.
Hic oculis ſubitò objicitur magnóque futurum
Augurio monſtrum: docuit poſt exitus ingens,
Seraque terrifici cecinerunt omnia vates.
Namque volens liquidis in nubibus arſit arundo,
Signavitque viam flammis, tenuesque receſſit

Conſumpto in ventos: cœlo ceu ſæpe refixa
Tranſcurrunt, crinemque volantia ſidera ducunt.

Præmia diſtributa.

Attonitis hæſere animis, Superosque precati
Trinacrii Teucrique viſi: nec maximus omen
Abnuit Æneas: ſed lætum amplexus Aceſten
Muneribus cumulat magnis, ac talia fatur:
Summe pater: (nam te voluit rex magnus Olympi
Talibus auſpiciis exſortem ducere honorem;)
Ipſius Anchiſæ longævi hoc munus habebis,
Cratera impreſſum ſignis, quem Thracius olim
Anchiſæ genitori in magno munere Ciſſeus
Ferre ſui dederat monumentum & pignus amoris.
Sic fatus cingit viridanti tempora lauro:
Et primum ante omnes victorem appellat Aceſten.
Nec bonus Eurytion prælato invidit honori:
Quamvis ſolus avem cœlo dejecit ab alto,
Proximus ingreditur donis, qui vincula rupit:
Extremus, volucri qui fixit arundine malum.

TROJA.
Equeſtris puerorum ludus.

At pater Æneas nondum certamine miſſo,
Cuſtodem ad ſeſe, comitemque impubis Jüli
Epytidem vocat, & fidem ſic fatur ad aurem.
Vade, age, & Aſcanio, ſi jam puerile paratum
Agmen habet ſecum, curſusque inſtruxit equorum,
Ducat avo turmas, & ſeſe oſtendat in armis,
Sic agit, ipſe omnem longo decedere circo
Infulſum populum, & campos jubet eſſe patentes.
Incedunt pueri, pariterque ante ora parentum
Frænatis lucent in equis: quos omnis euntes
Trinacriæ mirata fremit, Trojæque juventus.
Omnibus in morem tonſâ coma preſſa coronâ.
Cornea bina ferunt præfixo haſtilia ferro:
Pars læves humero pharetras: it pectore ſummo

Flexilis obtorti per collum circulus auri.
Tres equitum numero turmæ, ternique vagantur
Ductores: pueri bis ſeni quemque ſecuti.
Agmine partito fulgent, paribusque magiſtris.
Una acies juvenum, ducit quam parvus ovantem
Nomen avi referens, Priamus; tua clara, Polyte,
Progenies, auctura Italos; quem Thracius albis
Portat equus bicolor maculis, veſtigia primi
Alba pedis, frondemque oſtentans arduus albam.
Alter Atys, genus unde Atyi duxere Latini:
Parvus Atyx, pueróque puer dilectus Iülo.
Extremus, formáque ante omnes pulcer Iülus
Sidonio eſt invectus equo: quam candida Dido
Eſſe ſui dederat monumentum & pignus amoris,
Cætera Trinacriis pubes ſenioris Aceſtæ
Fertur equis.
Excipiunt plauſu, pavidos, gaudentque tuentes
Dardanidæ, veterúmque agnoſcunt ora parentum.
Poſtquam omnem læti conſeſſum, oculosque ſuorum
Luſtravere in equis: ſignum clamore paratis
Epytides longè dedit, inſonuitque flagello.
Olli diſcurrêre pares, atque agmina terni
Diductis ſolvêre choris, rurſusque vocati
Convertêre vias, infeſtaque tela tulêre:
Inde alios ineunt curſus, aliosque recurſus
Adverſis ſpatiis, alternosque orbibus orbes
Impediunt, pugnæque cient ſimulacra ſub armis.
Et nunc terga fugæ nudant; nunc ſpicula vertunt
Infenſi: factâ pariter nunc pace feruntur.
Ut quondam Cretâ fertur Labyrinthus in altâ,
Parietibus textum cæcis iter, ancipitémque
Mille viis habuiſſe dolum, quâ ſigna ſequendi
Falleret indeprenſus & irremeabilis error,
Haud aliter Teucrûm gnati veſtigia curſu
Impediunt, texuntque fugas & prælia ludo:
Delphinum ſimiles, qui per maria humida nando
Carpathium Libycumque ſecant, luduntque per undas.
Hunc morem, hos curſus, atque hæc certamina primus
Aſcanius, longam muris cum cingeret Albam,

Retulit, & priſcos docuit celebrare Latinos:
Quo puer ipſe modo, ſecum quo Troja pubes,
Albani docuere ſuos: hinc maxima porro
Accepit Roma, & patrium ſervavit honorem:
Trojaque nunc, pueri, Trojanum dicitur agmen.

ARGUMENTUM

Decimi noni Exempli Deſcriptionis Poëticæ. Decurſionis annularis certamen equeſtre.

Ex lib. 8. Poëmatis de Conſtantino ſcripti A PETRO MAMBRUN, S.J.

EXEMPLUM.

Cæruleos primâ luſtrabat lampade fluctus
Orta dies, & jam litui certamina cantu
Indixere: tremor juvenum exultantia corda
Pulſat agens; ſpes atque timor miſcentur in unum.
Haud procul à Caſtris molli curvamine colles
Planitiem claudunt mediam, Circíque figûram
Accipiunt: illuc denſæ coire phalanges:
Mox etiam Procerum lectâ ſtipante catervâ
Flaviades, ſolióque altus conſedit eburno.
Ecce autem nova res, feris quæ cognita ſæclis,
Pérque Aſiam, pérque Europam, populosque per omnes,
Ingentem meruit plauſum, ſpectacula primo
Tum dedit. A triplici demiſſus arundine triplex
Annulus, atque uno directus tramite pendet.
Protinus ingenti præco ſic voce Cluentus;
Hoc opus, hæ leges ſunto certaminis: haſtâ
Tres medio in curſu purâ ſimul auferat orbes
Victor Eques, mox & Regi ſe ſiſtat in armis;
Hæc ait, & palmæ juvenes incendit amore
Sollicitans ac promiſſis ingentibus implet.

Ante

Ante alios pulchræ captus dulcedine laudis
Æolides Tydeus ſtudio flagrabat inani.
Ille olim magno Martem veneratus honore,
Nunc etiam ſecum imprudens hæc vota canebat.
Armorum Gradive potens, haſtæque repertor
Bellatricis, equûm domitor; tibi victima ſi quæ
Hac cecidit dextrâ, primum ſi ſemper apud me
Nomen, honosque tuus: nunc ô! nunc annue & iſtam
Tempora da circum tibi ſacra adrepere laurum.
Hæc ſecum: mox dextrâ haſtam ſuſpendit, at ille
Attollens ſenſim, tum oculis & arundine ſummâ
Orbiculos notat, & totas effundit habenas
Ocyor it ſonipes nimbo, & quæ gloria prima eſt
Æquali rapitur curſu: haud felicibus æque
Auſpiciis Tydeus, tantum retinacula lenta;
Unde orbes roſeo pendent fulgore coruſci,
Impulit imprudens, vacuâque inglorius haſtâ
Ivit iter longum, triſtiſque reviſit amicos.
Egregius formâ ſequitur, primâque juventa
Conſpicuus, Gallo Clodius de ſanguine, jam tum
In thalamos Tullæ pactus, ſed virginis ætas
Cruda viro, & nimium matri dilecta puella
Invidet, inque aliud differt hæc gaudia tempus,
Immemor haud ſponſæ, creſcenti munus amori
Hoc dicat, atque inter palmas adoleſcere gaudet.
Virginei flos Tulla chori, lumênque juventæ
Sequanicæ, hoc alacres (inquit) tibi currimus æquor.
His ſtudiis ſpatium invadit, geminóſque per orbes
Haſtile inſeruit ſummum: fortuna ſupremum
Abnegat, & plenæ dimittit laudis egentem.
Ingreditur Francæ Regnator pubis & inter
Tot populos micat aureus? Oceanitide qualis
Lucifer ambroſium nitidus caput extulit undâ,
Cui capitis tegmen breve; ſpira monilibus ardens
Colligit in nodum, gentis pro more, galeri
Orbem imum; Lybicis umbrantur lactea plumis
Colla, ipſe in ſagulo luces virgatus, & acer
Impulit alipedem; toto ſonat ungula campo,
Haſta vibrans omnes collegit ſubter eundo

Orbiculos: latè circum fremuere ſecundo
Murmure cum populis proceres, lætúmque ſonori
Inſtituunt tremulo titui pæana canore,
Hinc alii atque alij non unâ ſorte, ſed omnes
Adverſam experti tamen: atque hic longius errat,
Hic proprius, geminis ovat alter in orbibus, alter
Uno etiam felix ægrum ſolatur honorem.
Ecce Aphys in campum prodit, cui Græcia magna,
Atque Italum extremi parent cui vertice needum
Infuſi ſacri latices, neque nomen habere
Inter Chriſtiadas antiquâ lege licebat;
Luce palam tamen in media, Populúſque per omnes
Et crucis & Chriſti gaudebat tyro videri,
Ergo illi bene Chriſtiadæ, bene Flavius Heros
Optavere, vovet contra gens impia: at ille
Franciadæ ſuppar æquali ſorte cucurrit.
Tergeminóſque orbes victrici ſuſtulit haſtâ.
Fit ſancti fremitus populi, gens impia muſſat,
Dividitur ſtudiis Circus, pars maxima plaudit;
Flaviade, tacito lætus ſub pectore gaudet,
Jum ſuper unus erat, Tyrrhenam in Martia pubem
Bella vocans Tullus, cordi cui cultus equorum,
Aſpera ſive feros agitare in prælia, ſive
Mollibus imperiis faciles aſſueſcere pompæ,
Quadrijugos ſive ad currus aptare placeret.
Pieriâ ut doctus citharâ cantare, priuſquàm
Omnes in numeros totam ſimul explicet artem,
Nunc hos, nunc illos dubio ſub pollice nervos
Molliter attrectans tentat, lentúſque pererrat
Omnia mobilibus digitis diſcrimina vocum,
Haud aliter ſpatio in primo procerúmque ſub ora
Cornipedem Tullus domitat, crebróque feroces
Saltu animos frangens, lævos nunc flectit in orbes
Nunc etiam in dextros: mox cum prior ille remiſit
Impetus, utque habilem curſu perſentit in æquor:
Et ſimul effundit, ſimul haſtam dirigit, atque
Omnes præteriens trajecit, & abſtulit orbes.
Excuſſis palmâ reliquis, ſors æmula rurſus
Victores acuit, rurſus iterare periclum

Suadet

Suadet amor laudis. Ne quicquam primus in æquor
Emicuit Francus, nam metis proximus umbrâ
Vulturis, hac qui forte plagâ ſuper æthere in alto
Ibat præter equus terretur, interque ſiniſtro
Tramite deflectens artes eluſit heriles.
Ergo Apulo ſurgit Regi ſub pectore flamma,
Spesque animum incendit fruſtra: ductore repulſo
Francigenum male gaudet ovans: nam vana fefellit
Sors illum, & palmæ mulctatum parte reliquit.
Jam ſuper unus erat Tullus, qui lætus in æquor
Proſilit, inſertóſque haſtili rettulit orbes.
Protinus intonuit Circus clangore tubarum,
Caſtraque reſponſant, magnusque remurmurat æther;
Flaviaden circùm proceres glomerantur, at ille
Stant alto in ſolio turma ſupereminet omnes,
Victoríque ſacrâ circumdant tempora lauro.

Pro exemplo ludicri certaminis inter feras, venationis exemplum affero, qua indagatorum agmen canum, fugientibus cervis inſtans, in monſtrum ſemiferi hominis horrendam ſpeciem referens caſu incidit, & monſtrum invadentium undique canum morſibus diſcerptum, ac faucibus ſupra modum inuſitatæ prædæ avidis devoratum eſt.

ARGUMENTUM

Vigeſimi Exempli Deſcriptionis Poëticæ.

VENATICUM CERTANEN:

Inter decumanæ notæ canes, & cervos primum inchoatum,
poſteà
Monſtri à canibus diſcerpi ac devorati nece finitum.

Ex

Ex lib. 12. Franciſciados,
R.P. FRANCISCI MAURI,
Minoritæ, Poëtæ inter ſuos præſtantiſſimi.

Hujus venationis hiſtoria narrata fingitur divo Franciſco, ab amico Montis Alverni domino, quum is jocum in hoc Monte, Sancto Franciſco oſtenderet, quem ipſi donabat, ut unum ibi extrueret ſui Ordinis Monaſterium.

EXEMPLUM.

Dies venationi deſtinatus aderat, fatalis monſtro futurus, quod è Sarmatia in Italiam usque aufugerat; cum vir nobilis, quem Poëta Guidum paulo ſuperius appellavit, cum multis aliis ad venationem egreſſus eſt.

Ergo optata dies aderat: quâ tempora Parca
Tandem Sarmatici complerent debita monſtri,
Etruſcique Lupus timor, atque infamia ſaxi,
Ederet eliſam, & ſcelerato in ſanguine merſam,
Sontem animam, & pœnas factis expenderet æquas,
Námque Heros ſenio jam tum defeſſus, & annis,
Poſt victas acies, pugnataque bella trophæis
Mille actis, mille exuviis ex hoſte relatis;
Ad patrias ſeſe demum revocaverat oras.
Invitus tamen otia amans; deſuetaque triſti
Bella animo repetens; indignabatur inertis
Corporis effœtas vires hebetemque ſenectam.
Tunc ergo (licuit quando hoc ſolamine tantum
Sæpe excire animum reſidem & turbare quietem)
Venatum ire parat. (mora nulla) ad limina cœtus
Conveniunt ultro juvenum; mediumque veredo
Frænato Heroëm ſubvectum humeroque gravatum
Devexos pharetra inſigni cornuque rerento
Accipiunt: portâque effuſum it protinus agmen,
Hic jaculo levis, huic nitido venabula ferro

Terga

Terga premunt, pars lina ferunt, flexúſque plagarum
Expediunt: ſine more canum ruit ardor odorus.

Locus ad venationem quæſitus oſtenditur; quò cum perventum eſſet, venatores ſua retia explicuerunt, & montis partem, qua denſiſſimi erant ſaltus, longa indagine cinxerunt; ac denique clamorem ingentem ediderunt, ut feras è cubilibus excitas in ſua retia compellerent.

Stat noſtris haud longè oculis (en aſpice) collis
Conſpectu apparens: rapido qui plurimus Arno
Incubat, & flavas amnis deſpectat arenas.
Horrificus vertex, umbráque nigerrimus olli
Surgit: nec noſtro huic, Apenninoque jugoſo,
Invidet intactos peropacæ frondis honores,
Non veteres fagos, non robora ſæva, nec ornos.
Quo poſtquam ventum eſt, gnaris mox retia circum
Tendere nodoſa, & denſos indagine ſaltus
Cingere cura fuit: tacito ſuccincta labori
Turba ſilens primò: at demum clamoribus inſtat.

Excitum Venatorum clamoribus cervorum agmen, è ſaltu egreditur, retia perrumpit, & in apertam ſe effundit camporum planitiem.

Ecce autem ſylvâ è mediâ (accepêre ſonantes
Venantum ſubito fremitus) ſimul agmine denſo
Excitam cervorum aciem per devia volvit.
Præcipitémque rapit fuga cœca metúſque ſuburget.
It clamor cœlo: luctantes vincula rumpunt
Arcta canes: rapidis voces dant curſibus alas.
Cornigeríque fugam glomerant, & retia ſaltu
Tenta levi ſuperant, magnos ramoſa fragores
Cornua dant, flictuque ſonant colliſa frequenti.
Jamque adeò exierant, jam tota armenta per æquor
Sparſa ruunt volucri curſu nec fulminis ignes,
Nec Gortyniacas velocius ire ſagittas
Crederis, non ſic tumidis Aquilonibus Arctos
Vertice ab excelſo laxas immittit habenas.

Præ-

Prægrandis cervus, reliquorum ductor, in eam montis partem ſe fugiendo proripuit, ubi Monſtrum illud degebat, quod ſupra retuli. Illuc tota veſtigatorum canum turma ſecuta eſt. Monſtrum viſo cervorum ad ſe venientium agmine, in illum, qui cæteris ſpectabilior agmine præerat; telum intorquet; quod tum fortè in manibus habebat.

Unus erat toto ferus agmine, corpore vaſto,
Altius ingrediens cunctis, cui cætera vulgi
Turba ſubit, quantâ lepus iret mole ſub illis.
His vero (ſeu jam curſum fortuna regebat,
Pectore ſeu credas partem inſediſſe ferino
Divinæ mentis ſenſusque agitaſſe retuſos)
Ut nemore exceſſit denſo, liberque patentis
Arva ſoli pedibus tetigit mox ſe pare curſu,
Præcipitique fugâ, diverſa per avia certum
Huc tenuit pavitans iter; hâc ſe condidit umbra.
Longa canum dimiſſa cohors, pecus omne fugacis
Armenti indignans ſimul, atque ignobile vulgus
Ultro deſpiciens; rapidis hunc curſibus unum
Inſequitur: tantum huic latratibus incita crebris
Inſtat, hianſque ciet morſus; atque increpat ore.
Sarmaticus raptor miſeris paſtoribus, illo
Forte die armenti partem ſubtraxerat: & jam
Sub fago abductos tauros numerabat opacâ
Ecce autem, adverſum in latus ut fera lumina torſit:
Cornigerum videt; & telum mox turbidus ingens
Corripit, atque altè ſupremâ librat ab aure,
Inque feri tergum fugientis deſtinat ictum.

Viſâ inſoliti Monſtri non villos à modo, ſed ſetoſâ ſpecie, (qualis ſuperius à Poëta deſcripta eſt) canes incitati, relicto cervo, acriter in Monſtrum exardeſcunt: & impetu undequaque facto, omnem ei ad fugam aditum præcludunt: illudque latratu terrent; dentibus invadunt; morſibus lacerant.

Librantem videre canes; quæ maxima cervum
Turba ſequebatur: primúsque Lycaos acutis

Inſue-

Inſuetisque ciens latratus vocibus, agmen
Incendit totum, monſtrumque immane relicto
Cornigero incurſu, roſtríſque invadere ſuadet,
Protinus unà omnis; rapida velocius aurâ
Condenſo aſſultu, turba ingruit: Harpalos unus;
Quem pridem eliſi ſub ſaltibus Apennini,
Gloria tollit ovans, lætúsque honor incitat apti,
Acceditque animos; & ſævas aggerat iras;
Proſilit; atque alios fugit ante elapſus: Amintor
Subſequitur velox: quem trux premit Hippaſos: illum
Phecome nato Lycida comitata rapaci
Tum Lycabas: Dictysque ſagax; & nare Lycetus
Utilis, Hylonómeque ferox; & fidus Areus;
Et villoſus Helops; & nigro pectore Tigris;
Alba Nape, ac fuſcis maculis interlita dorſum;
Tum; quos longa mora eſt numeraté, ſine ordine curſum
Immiſcéntque ruúntque alii: ac ſimul agmine facto,
Tum primùm horrifica pectus formidine quaſſum,
Turbatúmque animos certæ rationis egentem
Raptorem denſâ cingunt rapidâque coronâ;
Ille fugam trepido fruſtra pede tentat: inanis
Tum labor omnis: hebent vires, animúſque fatiſcit;
Vaſtificæque manus defectæ robore languent.
Nulla mali ſupereſt fuga; vis haud ulla periclo
Eximit: ultores adſunt: ultricia morſu
Stant circum ora canum & jam lævo primus ab armo
Eurinomus dependet atrox, & dentibus uncis
Nunc fera terga fodit; nunc illa laxa revellit.
Inde Lycus dextrum femur; Osborus inguina; rictas
Dilacerant? ſubitóque omnis coit undique turba
Hic trahit, hic mandit, fodit hic, eviſcerat ille,
Sic obit ingentem nigrans concurſus acervum
Frumenti; duro formicæ longiùs ore
Cùm Cererem aſportant, & ſubterraneâ victu
Tecta replent, recoluntque hyemem parcúntque repoſto.
Jamque immane, ferox, turpe, atque inamabile monſtrum
Morſibus horrificis lacerum jacet: effera gliſcit,
Tum magis ira canum, quam ſanguinis unda cadever

Trux

Trux matris atra lavit, certatim roſtra cruenti,
Viſceribus condunt, & fibras dente laceſſunt.

Venatores in hunc locum deducti, cervorum, canumque veſtigiis, ſolo ſtratum ac lacerum immane ſemiferi hominis cadaver vident attoniti, & de confecto Monſtro, quod circumquaque porrectam viciniam tot tantisque jam dudum ſtragibus devaſtarat, lætitiâ exiliunt.

Intereà juvenum manus ardens, pulvere in atro
Signata alipedum paſſim veſtigia ſervans;
Numine agente Deûm, greſſus huc vertit anhelos.
Ut venit, viditque horrens, vaſtúmque cadaver;
Aſpectu obriguit primo, atque immobilis hæſit.
At poſtquam informis diri prædonis imago
Cognita: trúxque horror, feritáſque apparuit oris,
Exiliunt, unáque exclamant: Vicimus, omnes;
Vicimus: inſperatus honos, inſigne trophæum
Stant hodie nobis: prædæ ſat noſtra, ſupérque
Lina tenent: Etruſcam hodie defendimus oram
Mille animas ulti, mille oppida, mille rapinas.

Cruento certamini inter feras, quod modo propoſui, ſuccedet non minus cruenta, ſed minus horribilis inter volucres pugna, quam ex Milliæi Moſe Viatore ſubjicio.

ARGUMENTUM

Vigeſimi primi Exempli Deſcriptionis Poëticæ.

Certamen Coturnicum.

Ex lib. 14. Laudatiſſimi Poëmatis Sub *MOSIS VIATORIS* *Nomine editi.*

Authore R. ANTONIO MILLIÆO, S. J.

Hujus deſcribendi Coturnicum ludicri certaminis occaſio-

occaſionem Poëta ſumpſit ex ingenti copia Coturnicum, quas Iſraëlitis murmurantibus, & carnes à Moſe poſcentibus, Deus immiſit; & ex prona hujus populi, ad otioſam hilaritatem, ludumque laſcivia.

EXEMPLUM.

Illa ſuper menſas ſaturi ſpectacula quærunt
Iſacidæ promunt caveis Mavortia doctas
Bella coturnices adverſæ hinc inde locantur
Extremis alacres menſis, paſtæque adiantho
Ingentes tollunt animos, torvisque viciſſim
Deſpectant oculis hoſtem, tum pabula ſpargunt
In medio, pugnæ cauſas, ſævique furoris,
Pro milio manna intritum, dulcemque pruinam,
Illicet adverſis ardent concurrere roſtris,
Signa movent, medióque ruunt in pabula campo,
Incurſu quo quæque abigat violentior hoſtem
Longius; aut ſi fors tulerit, primo impete ſternat.
Sic geminos Bellona equites concurrere cernit,
Biſtonii quos cornipedes, & gloria Circo
Intulerint; ſpatio arrectis hinc inde catervis.
Dant animos teſtes; ſepto volat ungula tractu
Alipedum: intentas pariter nituntur in haſtas
Conflictu, pariterque cadunt equitesque, ferique
Quadrupedes, armorum ingens fragor æthera pulſat,
Attonitisque horrent animis utrinque faventes.
Herculeas ſic certus aves in vulnera trudit,
Impedit, abſiſtunt ictu, retróque repulſæ
Viribus ex æquo validis plaudente coronâ,
Reſtituêre gradu pugnam, cantúque ſonantes
Tyrrhenas imitante tubas, in vulnera rurſus
Incumbunt roſtris, volitans à vertice plumæ
Excuſſæ galeis crebro jam vulnere calvas
Cervices & vulſa cruor lavit improbus ora,
Effoſſósque oculos: hærent in mutua roſtris
Vulnera connixæ, laceratáque colla cruentant
Implumes; dolor ipſe acuit pugnacibus iras,
Cantu iterum reparant animos: iterumque capeſſunt
Prælia. Subſultant dominis pavitantia corda,

Quæ vincat? cui victa cadat? dominumque pudore
Addictum afficiat, pœnâque & pignore mulctet.
Concipiunt ipſíque iras, jam factio ſævit:
Jam volucrum in dominos tranſit furor, ortaque menſas
Inter ſeditio populi convivia turbat.

ARGUMENTUM

Vigeſimi ſecundi Exempli Deſcriptionis Poëticæ.

LUDUS TUDICULARIS,

mira Verſuum elegantia deſcriptus.

Ex poſterie Tomo Poëtic. operum, & Lib. 5. Sylvarum P. Leonardi Frizon, S. J.

EXEMPLUM.

Inclytus Heroum fuerit labor omnia bello
Miſcere, ac totis colliſum viribus orbem
Volvere certatim & vario protrudere caſu.
Quod ſtrepitu immenſo, atque inſani turbine Martis
Per freta per terras geritur, labefactaque Regna
Innocuæ videt, ut referat brevis area pugnæ,
Et procerum curas, operoſa negotia, ludat.
Menſa oblonga ſedet, viridique intenta tapete
Sternitur & valido circum munimine ſepta.
Tigneus hinc fornix, ferro verſatilis illinc
Circulus, adverſi inter ſe, fineſque ſub ipſos
Ictibus expoſiti; ſtant puro cætera campo.
Nunc age, qui ritus, quæ ſint ludentibus arma,
Expediam, placidique ſequar diſcrimine belli.
Telorum Labycisve plagis, Indisve petita
Materies, pretio inſignis, multoque nitore,
Nec ferro, at ſecto candens elephante ſuperbit,
Quatuor inde globi campo ſpatiantur aperto,
Quo tuditum vis agmen agit, torquetque ſonantes.
Non tamen ut toto in ſylvis verſata lacerto
Robuſtum exercet pugilem, ſaltúque feroci

Con-

Concita ferratos refugit pila buxea pulſus.
Mollius appreſſum luſor dextrâque reductâ.
Librat, multa movens, tuditem appulſumque petito
Sæpe globo tractim alternat, dehinc fronte quadratâ
Arietat, & plagam mediato temperat ictu.
Extremo in ſpatio locus eſt, cui deſuper arcus
Imminet, huc primo tendunt, & proxima captant
Procurſu globulorum, hinc ſpes affulgere rebus,
Hinc palmæ augurium, & vacuum data jura per æquor.
Præſertim pilâ ſi patulo trajecta ſub arcu
Dum fauces aliæ tentant, arcúmque morántur
Circa ſollicitæ: jam circlo immiſſa triumphat
Princeps; inque novos victrix accingitur ictus.
Quam variæ Martis facies, quantisque palæſtram
Motibus exercent, pila ſeu directa rotatur,
Sive repercuſſu ſeptorum obliqua foramen
Aut petit, aut validis obſtantem incurſibus urget?
Obſedêre aditus & ferri mobilis arctum
Ire globi penitusque ſinum tranſmittere certant:
Aſt alii præcludere iter properantque ruúntque
Aggeribus velut oppoſitis, mediique reſiſtunt.
Nonnunquam & plenis hærentem faucibus orbem,
Vi multa extrudi videas, lapſúque quieto
Eludi, averſâ ferri revolubilis orâ.
Ludicra trajectu nimirum laurea terno.
Conſtitit aut campo ſi quis dejecerit hoſtes.
Hinc atque hinc latere in gemino patet alta vorago
Et menſæ duplicem frons utraque pandit hiatum;
Angulus in præceps refugit, foveâque dehiſcit
Quisque ſuâ: geminæ huc fertur violentia partis
Præcipitesque globos rapido certamine volvit.
Nec latebroſo unum ſatis eſt merſiſſe barathro;
Victor & alterius fatis audentior inſtat
Conduplicans ictum, & repetito vulnere ſævit.
Quid loquar, ut ambo excuſſi vallúmque caducâ
Tranſiliant pereantque fugâ? tanto impetus ardens
Turbine agit? trepidos ſors, ars miſcentur in ictis
Nunc ſeſe agglomerant, nunc eminus arma laceſſunt:
Jam ſtipata acies confertoque agmine pugnam

Impediunt toto diſpulſos æquore fundit,
Jam temere incurrens impactusque orbibus orbis
Fit fragor, obnixi fugiuntque premúntque viciſſim
Verberibus ſeſe alternis; avidúsque nocendi
Uno eodemque ſequax tumulo ſæpe occupat hoſtis.
Nec vero menſâ tantum ludicra geruntur
Bella ſuper, undoque ſolo graviora ciemus
Robora, contuſos cava faucibus haurit apertis
Foſſa globos; ſed enim haut qualem pila tranſit eburna
Annulus extremo duri ſedet æquore campi:
Funis at intentus ſurgit, ſignumque canoro
Ære dat impulſus; plauſu dum læta pilarum
Area belligero fervet, canit ære triumphum.

ARGUMENTUM
Vigeſimi tertii Exempli Deſcriptionis Poëticæ,
SCACCHIORUM LUDUS
Ex integro hac de re Poëmate.
A
MARCO HIERONYMO VIDA
Albæ Epiſcopo,
exquiſita Verſuum elegantia ſcripto.

EXEMPLUM.

Ludimus effigiem belli, ſimulataque veris
Prælia, buxo acies fictas & ludicra regna.
Ut gemini inter ſe Reges albusque nigerque
Pro laude oppoſiti certent bicoloribus armis.
Dicite Seriades Nymphæ certamina tanta
Carminibus prorſus vatum illibata priorum,
Nulla via eſt, tamen ire juvat, quo me rapit ardor,
Inviaque audaci propero tentare juventà.
Vos per inacceſſas rupes, & inhoſpita euntem
Saxa Deæ regite, ac ſecretum oſtendite callem:

Vos

Vos hujus lu li imprimis meminiſſe neceſſe eſt,
Vos primæ ſtudia hæc Italis monſtratis in oris,
Scacchidis egregiæ monimentum inſigne ſororis,
Juppiter Æthiopum ſedes, & Memnonis arva
Iverat, Oceani menſas dignatus amici,
Qui ſibi tum optatis junxit Tellurem Hymenæis,
Affuit una omnis Superûm chorus: omnia feſto
Æquoris immenſi reſonabat littora plauſu,
Ut dapibus compreſſa fames, menſæque remotæ
Quo Superûm mentes ludo mulceret inani,
Oceanus tabulam afferri jubet interpictam.
Sexaginta inſunt & quatuor ordine ſedes,
Octono parte ex omni via limite quadrat
Ordinibus paribus, nec non forma omnibus una
Sedibus, æquale & ſpatium, ſed non color unus.
Alternant ſemper variæ, ſubeuntque viciſſim
Albentes nigris, teſtudo picta ſuperne
Qualia devexo geſtat diſcrimine tergo.
Tum Superis tacite ſecum mirantibus inquit:
Marti aptam ſedem, ludicraque caſtra videtis,
Hoc campo adverſas acies ſpectare licebit
Oppoſitis ſignis belli ſimulacra ciere,
Quæ quondam ſub aquis gaudent ſpectacla tueri
Nereides vaſtique omnis gens accola ponti,
Si quando placidum mare, & humida regna quierunt,
En vero ſimulata adſunt, qui prælia ludant:
Sic ait, & verſa in tabulam depromſit ab urnâ
Arte laboratam buxum, ſimulataque noſtris
Corpora, torno acies fictas, albaſque, nigraſque,
Agmina bina pari numeróque & viribus æquis.
Bis niveâ cum veſte octo, totidemque nigranti,
Ut fariæ facies, pariter ſunt & ſua cuique
Nomina, diverſum munus, non æqua poteſtas,
Illic & Reges; paribus capita alta coronis,
Et Regum pariter nuptas in bella paratas
Cernere erat, ſunt qui pedibus certamina inire
Sueti, ſunt & equis qui malint, quíque ſagittis,
Nec deeſt quæ ferat armatas in prælia turres
Belluâ, utrinque ludos credas ſpectare elephantes.

Jámque aciem inverſam, ſtatuunt, ſtructæque cohortes
Procedunt campo, caſtriſque locantur utriſque.
Linea principio ſublimes ultima reges
Parte utraque capit, quartis in ſedibus ambos
Tractu eodem adverſos inter ſe, ſex tamen æquis
In medio ſedes ſpatiis hinc inde relictæ.
Albus ſede nigrâ ſeſe tenet, ater in albâ,
proxima Reginas capit orbita, Regibus ambæ
Hærent quæque ſuo, dextrum latus altera, lævum
Altera lege datis tangunt ſtationibus, atrúmque
Atra tenet campum, ſpatio ſtat candida in albo,
Et proprium ſervant primâ ſtatione colorem.
Inde ſagittiferi juvenes de gente nigranti
Stant gemini, totidem pariter candore nivali;
Nomen Areiphilos Graji fecêre vocantes,
Quod Marti ante alios cari fera bella laceſſant.
Continuò hos inter Rex, nec non Regia conjux
Clauduntur medii, duo dehinc utrinque coruſci
Auratis equites ſagulis criſtiſque decori
Cornipedes in aperta parant certamina Martis:
Tum geminæ velut extremis in cornibus arces
Hinc atque hinc, altis ſtant propugnacula muris,
Quas dorſo immanes geſtant in bella Elephanti.
Poſtremo ſubeunt octo hinc, atque inde ſecundis
Ordinibus pedites, caſtriſque armantur utríſque
Armigeri partim Regis, partim miniſtræ
Virginis armiſonæ, quæ prima pericula belli,
Congreſſúſque ineant primos, pugnámque laceſſant,
Non aliter campis legio ſe buxea utrinque
Compoſuit, duplici digeſtis ordine turmis,
Adverſíſque ambæ fulſere coloribus alæ,
Quam Gallorum acies Alpino frigore lactea
Corpora ſi tendant albis in prælia ſignis
Auroræ populo contrà, & Phaëtonte peruſtos
Inſano Æthiopas, & nigri Memnonis alas,
Tum Pater Oceanus rurſus ſic ore locutus;
Cœlicolæ, jam quænam acies, quæ caſtra videtis,
Diſcité nunc (neque enim ſunt hæc ſine legibus arma)
Certandi leges, nequeant quas tendere contra,
Principio alterni Reges in prælia mittunt,
Quem pugnæ numero ex omni elegêre ſuorum

Si niger arma ferens primus proceſſit in æquor,
Continuò adverſum ſemper ſe candidus offert;
Nec plures licet ire ſimul facto agmine in hoſtem.
Propoſitum cunctis unum, ſtudium omnibus unum
Obſeſſos Reges inimicæ claudere gentis;
Ne quo impunè queant fugere, atque inſtantia fata
Evitare, etenim capiunt ita prælia finem.
Haud tamen intereà cuneis obſtantibus ultro
Parcunt, ſed citiùs quò Regem ſternere letho
Deſertum evaleant, cedunt ferro obvia paſſim
Agmina rareſcunt hic illic funere ſemper
Utraque caſtra novo, magis ac magis area belli
Picturata patet, ſternúntque, cadúntque viciſſim.
Sed cædentem opus eſt ſublati protinus hoſtis
Succeſſiſſe loco, & conatus vindicis alæ
Suſtinuiſſe ſemel, mox ſi vitaverit ictum,
Inde referre licet ſe in tutum præpete plantâ.
At pedites prohibent leges certaminis unos.
Cùm ſemel exierint (facilis jactura) reverti.
Nec verò inceſſus cunctis bellantibus idem,
Pugnandive modus, pedites in prælia euntes
Evaleant unam tantùm tranſmittere ſedem,
Inde hoſtem tendunt adverſi, & limite recto,
Congreſſu tamen in primo fas longius ire,
Et duplicare gradus conceſſum at cominus hoſtem
Cùm feriunt, ictum obliquant, & vulnera furtim
Intentant ſemper lateri, cavaque ilia cædunt.
Sed gemini claudunt aciem, qui hinc inde Elephanti.
Cùm turres in bella gerunt, ac prælia miſcent,
Recta fronte valent, dextrâ lævâque retróque
Ferre aditum contra, campúmque impune per omnem
Proruere, ac totis paſſim dare funera caſtris,
Ne tamen obliquis occultent nixibus ictum
Qui tantùm mos conceſſus pugnantibus arcu
Dilectis Marti ante alios: nam ſemper uterque
Fertur in obliquum, ſpatiis nigrantibus alter,
Alter candenti ſemper ſe limite verſat,
Directiſque ineunt ambo fera bella ſagittis,
Nec variare licet, quamvis fas ire per omnem

Hinc atque hinc campum, atque omnes percurrere ſedes
Inſultat ſonipes ferus, atque repugnat habenis,
Nunquam continuò ſtipata per agmina ductu
Procurrit, tantum ſurſum ſeſe arduus effert
Semper, & in gyrum greſſus magno impete lunas
Curvatos, duplicémque datur transmittere ſedem,
Si nigrante prius campo expectaverit, album
Mox petere, & ſedis ſemper mutare colorem
Lex jubet, ac certo ſemper ſe ſiſtere ſaltu.
Ac Regina furens animis pars optima belli,
In frontem, in terga, ac dextram, lævámque movetur,
Itque iter obliquum, ſed ſemper tramite recto
Procedit, neque enim curvato inſurgere ſaltu
Cornipedum de more licet: non terminus olli.
Nec curſus meta ulla datur; quocumque libido
Impulerit, licet ire, modò ne ex agmine quiſquam
Hoſtilive, ſuóve aditus occuldat eunti,
Nulli etenim ſuper educto fas agmina ſaltu
Tranſiliiſſe, equiti tantùm hæc conceſſa poteſtas.
Cautiùs arma movent gentis regnator utérque,
In quibus eſt omnis ſpes, ac fiducia belli,
Omnibus incolumi Rege ſtat cernere ferro;
Sublato, pugnâ excedunt, & caſtra relinquunt;
Ille adeò in bello captus ſecum omnia vertit.
Ergo hærens cunctatur, eum venerantur, & omnes
Agmine circumſtant denſo, mediúmque tuentur,
Utque armis ſæpe eripiant, ſua corpora bello
Objiciunt, mortémque optant pro rege paciſci.
Non illi ſtudium feriendi, aut arma ciendi,
Se tegere eſt ſatis, atque inſtantia fata cavere.
Haud tamen obtulerit ſe quiſquam impune propinquum
Obvius, ex omni nam ſummum parte nocendi
Jus habet. Ille quidem haud procurrere longiùs auſit,
Sed poſtquam auſpiciis primis progreſſus ab aula
Mutavit ſedes proprias, non ampliùs uno
Ulteriùs fas ire gradu, ſeu vulneret hoſtem,
Seu vim tela ferant nullam, atque innoxius erret.
Hic mos certandi, hæc belli antiquiſſima jura,
Nunc aciem inter ſe certantes cernite utrámque,

ARGU-

ARGUMENTUM
Vigeſimi quarti Exempli Deſcriptionis Poëticæ.
CIRCUS REGIUS,
ſeu,
Feſtiva ad capita annulúmque Decurſio
A REGE LUDOVICO XIV.
PRINCIPIBUS
SUMMISQUE AULÆ PROCERIBUS
Pariſiis edita anno 1662.

Ex integro hac de re ſcripto volumine, quo, Clariſſimus Abbas D. Spiritus Flechier, Totum hujus feſtivæ pompæ apparatum Verſibus Virgilianæ Muſæ æmulis, tum ſolutâ Oratione Atque exquiſitiſſima, & Auguſti ſeculo dignâ Latinitate deſcripſit.

EXEMPLUM.

CIRCENSIUM LUDORUM SPECTATORES.

Aurea lux aderat roſeiſque Aurora quadrigis
Vecta, diem intulerat: jam longi obſeſſa theatri
Limina cuſtodes, genus intractabile, ſervant,
Ne numero deſit moles, aut victa fatiſcat
Pondere, neve oneret ſcenas ignobile vulgus,
Dira ſeges ferri portis horreſcit apertis.
Auratis longè videas procedere cives
Curribus, & vacuo egregios ſuccedere Circo,
Virginibus mixtæ ſubeuntes ordine matres,

 Vitta-

Vittarum nitidis intexta volumina nodis:
Longáque jactantes pretioſæ tegmina pallæ,
Prætereunt Divis ſimiles, altéque locantur.
Spectatum ornatæ veniunt, ſpectantur & ipſæ,
Accipit hæc blandam inclinans, redditque ſalutem,
Hæc roſeos vultus, & dulci lumina riſu
Explicat; illa ſibi lenes exſuſcitat auras,
Et picto nimios flabello ventilat æſtus.
Nobilium juxta juvenum lectiſſima turba
Urbanis molles animos, & pectora mulcet
Luſibus, aut teneros furtim ſuſpirat amores.
Cæruleis Proceres evincti pectora vitis,
Purpureíque Patres ſparſim curvata coronant
Pulpita, legati Regum jam proxima pompæ
Gaudia, tanta ſuis nusquam ſpectacula terris
Viſuri, exſpectant. Strepit omnis murmure Circus.
Picturâ inſigni, miróque opulenta theatro
Ludorum latè campum circumſpicit Aula,
Hîc volitare viros ſurſum; montéſque moveri
Mole ſuâ, & ſiccam per ſcenam vidimus æquor
Advolvi, & rutilum cœlo deſcendere Solem.
Prominet hinc pictis dives ſtructura columnis,
Quam decorant artes, & ſparſa tapetibus aureis
Lilia Reginæ vultúque habitúque Dearum,
Oſtro pulvinis; aurôque micantibus; illis
Conſedêre: oculis, & majeſtate decorâ
Inclyta progenies Regum, dilectáque Regis
Conjux, jámque etiam mater Thereſa refulſit;
Non ſecus ac cœlo ſiſtit ſe luna ſereno
Purior, atque alios noctis ſupereminet ignes.

TURMARUM ADVENTUS

Plauſibus intereà lætis, fremitúque ſecundo
Exultans Equitum longè proceſſerat ordo.
Effuſi refluunt paſſim per compita cives,
Prætexúntque vias tectiſque patentibus adſtant,
Mirantur cultus Equitum, mirantur equorum;
Conſpicuóſque Duces geminis, & nota colore
Agmina quæque ſuo, proprióve nitentia luxu,

Præ-

Præcipuè fixis in Rege obtutibus hærent,
Sidereóſque notant oculos, qui ſpiritus illi,
Qui vultûs, votíſque hilares animiſque ſequuntur,
Jámque propinquabat campo, clangórque tubarum,
Adventúſque virûm, denſúſque hinnitus equorum
Incipit audiri, & longum increbreſcere murmur.
Jam Chlamydes oſtro pictæ, nitidíſque lapillis
Eminus, & tremulis radiat fulgoribus aurum.
Alterno qualis procurrens gurgite pontus
Dum ruit, & fuſo paulatim advolvitur æſtu;
Alliſi reſonant ſcopuli, crebérque remugit
Antè fragor; procul incipiunt albeſcere tractus
Undarum, donec perfundat littora fluctus
Spumeus, & totâ latè ſe volvat arena.
Talis erat clamor, vulgíque ad limina motus,
Illi ſe vacuo tentant infundere campo
Furtim, contextis adrepunt poſtibus illi,
Injectiſque agiles prenſant faſtigia dextris,
Sed triſtis cuſtos nunc hos nunc dejicit illos,
Summotóſque procùl ſtrictis mucronibus arcet.

TURMA REGIA.

Ærea vix toto ſonuerunt tympana Circo,
Ludentéſque tubæ: Grammontius agmina lentè
Regia prægreditur; quo non præſtantior alter,
Seu belli curas tractat, duróſque labores
Ardens; ſeu tacitæ maturat fœdera pacis
Teutonico in cœtu, ſeu ſacros Principis ignes
Explicat, & patriâ Reginam accerſit ab aulâ
Legatus nuper, magníque interpres amoris,
Induitur Tyrio ſaturatam murice & auro
Intextam veſtem, gemmis onerata renitet
Divitibus caſſis, plumisque undantibus altus
Surgit apex, capulóque effulget gemmeus enſis.
Præfecti caſtris Equites comitantur, at ille
It ſtrato ſublimis equo, ſtadiique patentis
Metitur ſpatia, & poſitâ ſtatione, receſſus
Signat equis, ſignátque viris, atque ordine longo
Caſtra locans, variam agminibus partitur arenam,

Nec mora, partiti numero ſpectantur Ephebi
Queis decus ingenuum formæ, roſeúſque juventæ
Flos micat, & flammis cœleſtibus æmulus ignis,
Aurea cæſaries illis, atque aurea veſtis:
Vittarum fluitant nodi, plumæque rubentes,
Eximius rutilo quas pileus explicat orbe.
Aurato alipedes ſtratos Jovis alite flectunt
Subſultim. Phrygiis opibus, pictâve pharetrâ
Troja, dum ſtabat Priamus, mox Romula pubes
Sic aderat gaudens in equis, dum poſceret ingens
Lætitiæ alternis intexere in orbibus orbes,
Et ſinuare fugas, & amœnam ludere Trojam.
Haud procul innumeri Tyrio ducuntur in oſtro
Regis Equi: Crebris ſimulant nunc ſaltibus iras,
Loráque detrectant refugi, jactantque comantes
Excuſsâ cervice jubas: Nunc aurea frena
Dentibus illiſis mandunt, gradibúſque ſonoris
Compoſiti, ſinuant alterna volumina crurum,
Et fulvum maculant ſpumis albentibus aurum,
Exultántque pares Videas pendere tapetas
Auro intertextos rutilo, per ſtragula pictas
Arte Phrygum radiare aquilas, penníſque minari;
Et nitido circùm gemmas excurrere limbo,
Ponè ſequebantur ſuccincti murice rubro
Lictores, pictóſque ferebant ordine faſces
Romulidûm; juxtà portant inſignia Regis
Armigeri: pictam gerit ille coloribus haſtam
Cæruleis, alter fulgentem Principis enſem,
Suſtinet hic ſcutum; medióque Umbone refulget;
Qualis ab Oceani Titan ſeſe extulit undis,
Eduxitque diem, radiiſque potentibus umbras
Ut vidit, vincit. Rutilat fulgoribus aër,
Vaneſcunt gravidæ nubes, ventique reſidunt,
Ille triumphato pacatus regnat Olympo,
Flammiferóque regit cœli ſuper atria currus.
Tùm verò emicuit campo LODOICUS aperto,
Ora Deo ſimilis. Pictæ non addita veſti
Lilia, non ſceptri fulgor, ditiſque coronæ;
Sed ſua Majeſtas Regem indicat; undique veſtis

Gemma fuit; Chlamydem victorum more Quiritum
Induitur, Tyrio ſublucet purpura fuco;
Aurea quam multo percurrit tænia tractu
Gemmarum, & nitido ſubnectit fibula morſu.
Auguſto capiti radiantis more coronæ
Caſſis erat, rutilo quam plurimus igne pyropus
Irradiat; lateri ſtellatus jaſpide fulget
Enſis: gemmato ſuras incluſerat auro.
Erectúſque regebat equi ſpumantis habenas,
Cui nitidos artus auro conſerta tegebat
Purpura: crinito pretioſa monilia collo
Effulgent latè, compactáque cauda decoris
Vittarum refluit nodis, terrámque flagellat.
Hoc cultu fremit arrectis cervicibus altè
Luxurians ſonipes; tacitóſque huc verſus & illuc
Dividit in populos Regem, tantóque ſuperbus
Pondere, compoſito glomerat veſtigia greſſu,
Ludentéque jubas rejicit per colla per armos.
Hic ego Romuleæ perculſus imagine pompæ
Mirabar lætas acies, mirabar opum vim,
Auſoniáſque Aquilas antiquæ inſignia Romæ,
Attonitis inhians animis, ac talia volvens,
Æternas arces, Capitoli immobile ſaxum
Nequicquam & rerum Dominam promiſerat Urbem
Jupiter; everſæ moles, avulſáque ſaxis
Saxa jacent; priſcæ fatorum injuria Romæ
Vertit opes; at opus Luparæ dum cerno ſuperbum,
Ingentéſque minas murorum, æquatáque cœlo
Culmina: Romanas iterum ſe attollere moles
Et noſtris iterum Capitolia ſurgere ſæclis
Crediderim. Tyberis pleno qui flumine campos
Stringebat Latios, & Martia regna rigabat:
Nobilis, & cœlo quondam gratiſſimus amnis:
Lapſa per Imperii decora, inſignémque ruinam,
Amne fluit modico, triſtes & volvit arenas
Auſpiciis, LODOICE, tuis nunc Sequana regnat,
Regia cui virides prætexunt Atria ripas,
Et dites per agros ſinuoſis flexibus errans
Auguſtam vitreis Urbem præterfluit undis,

Et Regum miratur opes, & marmora lambit.
Dum veterum ſtabant artes, & fata Quiritum;
Tum populus latè victor, bellóque ſuperbus,
Imperiiſque ſuis, animos æquabat Olympo,
Et totum Latias ſub leges miſerat Orbem
Ilicet ignavæ nunc alta per otia pacis
Degenerant reſides animæ, deſuetáque bello
Pectora, Romani tenuis nunc nominis umbra.
Uſque adeò nulla eſt fati ſecura poteſtas
At regere arbitrio populos, ſceptrique potentis
Imperio, belli paciſque imponere morem,
Jam fatum, LODOICE, tuum. Jam Gallia Roma eſt.
Dum rerum eventus varios mecum ipſe voluto
Stipatus circùm innumeris heroibus, heros
Ibat ovans, fremitúſque virûm, clangórque tubarum
Conſonat egregium quò ſeſe verterit agmen,
Illuſas auro galeas, & ſpicula cernas,
Sole laceſſita, & tremulo fulgore reflexos
Ingenti circùm radios albeſcere tractu.
Olim magnanimis cum ſe jactabat alumnis
Inclyta, magnifico ſic viderat ordine pompas
Roma ſuas. Latio ſeu victus Marte Gelonus,
Sive urbes Aſiæ domitæ; ſive excidit alta
Carthago: Tyrio victor conſpectus in oſtro,
Quadrijugo vectus curru, inſigniſque trophæis
Ibat conſpicuo Capitolia ad alta triumpho;
Æternáſque Jovis lauros, & vota ferebat
Dîs Italis. Ludis populi, plauſúque fremebant
Lætitiæ. At priſcos ſileat mihi fama Quirites.
Diſcordes alius flexit; compeſcuit iras
Civibus, & patriam formavit moribus urbem,
Egregius latè famâ, & victricibus armis,
Auſonios alius felici Marte triumphos
Protulit, aut Jani ſtridentia limina clauſit
Dulce miniſterium pacis. Sed colligit omnem
Inſignis LODOIX laudem, moreſque Catonis,
Mites Auguſti vultus, animóſque ſuperbi
Cæſaris invenias, & totam in principe Romam.
Pugnavit, vicítque puer, tolerare labores

Fervidus, & medios victor volitare per hoſtes.
Civiles domuit furias, primíſque ſub annis
Adverſas quaſſis disjecit mœnibus urbes.
Congeſſit lauros; donec demulſerit iras
Pacis amor, ſed qui bellis, & nobile duro
Protulit imperium ferro, nunc aurea condit
Sæcula, pacatis & dividit otia terris,
Aut placidis lætas componit moribus urbes,
Et molles aditus populis venientibus offert.
Aut fontes caſtigat opes, & legibus æquis
Fortunas multo conflatas crimine mulctat.
Aut pulchris etiam virtutibus addit honores,
Invitátque animos pretiis, & promovet artes.
Omnibus unus adeſt, animúmque per omnia verſat
Ipſe ſuum; & nullâ rerum ſub mole fatiſcit
Anxius, Aſſiduo ſic quàmvis omnia motu
In mare cæruleos evolvant flumina fluctus,
Se capit Oceanus, nec motis altior undis
Turbatur, fluviíſque ſuáque capacior undâ,
At poſtquàm lento percurrerat agmine campum,
Atque omnem LODOIX luſtraverat undique ſcenam
Reginas blandè flexâ cervice ſalutat.
Mox acri ſubſultat equo, penitúſque recedit
In mediam, turbâ procerum ſtipante, palæſtram
Aureus, atque humeris illic ſupereminet omnes,
Qualis ubi fœtis apibus, ſua tecta relinquit,
Veſtigátque domos alias emiſſa juventus:
Examen campo ſi quando erupit aperto,
Et ſudum ad ſolem ramo frondente pependit;
Rex nitidis clarus ſquammis, maculíſque coruſcus
Emicat, & rutilas inſignior explicat alas.
Stant fulvis aliæ pennis, Regémque coronant
Affulæ circùm. Mediâ ſic luce refulſit
Princeps, at juvenes oſtrôque, auróque decori,
Et Regum ſimiles lætâ cinxère coronâ,

Sequuntur ſimili ordine, ſed diſpari veſtium cultu, aliæ, Ducis Aurelianenſis, Principis Condæi, Anguieni Ducis, Ducis item Guiſii turmæ; quarum ſi deſcriptionem es Domini

mini Abbatis Flechier Poëmate referre voluiſſem, integrum ejus exſcribendum poëma fuiſſet. His igitur omiſſis, quarum ſatis modum & ordinem ex Regia turmæ deſcriptione intelligere Lector poterit, ad Equeſtrem turmarum tum ad capita, tum ad anulum decurſionem propero.

EQUESTRIS DECURSIO.

Dux ubi quisque ſuas, in ludicra bella, cohortes
Explicuit, placidique effulſit Martis imago.
Totus in ardeſcit confuſo lumine campus,
Hinc auro pictæ chlamydes, nitidíſque lapillis,
Inde micant Tyro ſaturatæ murice veſtes,
Inſignes illinc vittis onerantur amictus
Cæruleis, albíſque, volántque per aëra plumæ
Nigris collectæ nodis; picturáque latè
Diſcolor, eximio cœlum fulgore laceſſit.

Adverſo, ſeu dum rorantem lumine Phœbus,
Irradiat nubem, rutilantibus illa repentè
Icta micat radiis, & lucis imagine multâ:
Lucida tùm variis maculis intermicat iris.
Et pluvium picto cœlum complectitur arcu.

Humani capitis tereti ſubuixa Collmnæ
Prominet effigies, rapido quâm perforet ictu
Lancea currentûm. Longis obnoxia telis
Stat Mauri cervix contrà, quam læta juventus
Non interrupto certet transfigere curſu,
Parte aliâ fuſis per livida colla colubris,
Gorgonis horreſcit facies, cui vulnere certo
Quiſque ſuum infigat jaculum fixúmque relinquat,
Ultima cura fuit, projectum tranſitu in ipſo
Enſe auferre caput, pronúmque incumbere in ictum
Curſu continuo, lepidi res plena laboris.

Invigilant Caſtris præfecti & ſedibus altis
Judicia exercent, quæ ſit victoria pugnæ,
Quive dolus; ſervántque vices, & jura tuentur
Cuique ſua, & pulchræ dirimant certamina laudis,
Nempe ſuis tantæ non ſunt ſine legibus artes,

Sive

Sive cadant alto fluitantes vertice criſtæ;
Sive incumbat Equus demiſſo cernuus armo,
Effundatve Equitem, ſecum fata improba fruſtra
Inſontem fruſtra caſum m ſerantur amici
Qui ſteterit, cœptóſque remiſerit æquore curſus
Lentior, aut medios non circumflexerit orbes;
Quive ſuam lapſo confuderit ordine pompam
Exerrans, aut quem fruſtrata fefellerit haſta
Sæpiùs, heu! pulchræ non ſperet præmia palmæ.
At certo quiſquis plures trajecerit ictu
Pictorum effigies capitum, plauſúque ſuperbus
Orbiculo plures fauſtè direxerit haſtas:
Hanc agitat ſolers & amat victoria dextram
Arduus in mediâ victor ſe jactet arenâ.
Et lætam accipiat, multâ cum laude, coronam.
Signa viri expectant: ſonipes fremit æquore toto
Ire avidus, dubiíſque hæret victoria pennis,
Ut tuba commiſſos cecinit lætiſſima ludos,
Quatuor adverſos Equites erumpere cernas
Carceribus: flectunt haſtas, & miſſile dextram
Certatim vibrant jaculum, metíſque relictis,
In medium obliquant pariter veſtigia Campum.
Hic geminos texunt flexus totidémque reflexus,
Atque abeunt, redeúntque pares, nec fallitur ordo.
Ac veluti Phrygiis ludit Mæander in arvis
Excurſans, iterúmque ſuos revolutus in ortus,
Incertúſque viæ, nunc huc, nunc labitur illuc,
Ambiguis donec feſſas erroribus undas
Colligat, & pelago ſenſim decurrat aperto.
Sic ubi compoſitis gyris, atque ordine certo
Effinxêre fugas, implexóſque orbibus orbes,
Enſe ſimul ſtricto feriunt, jaculóque Meduſam.
Et ſe quiſque ſui condunt munimine Septi.
Quantus init pugnam! quantus LODOICUS in æquor
Armigero comitante ruit! telúmque vel enſem
Incutit, & celeres curſu prævertitur auras!
Quo ſe cúmque movet, claráve in luce refulget,
Effuſæ retro ſplendeſcit ſemita lucis,
Ut dum ſtella facem, noctis delapſa per umbras,

Protulit, impreſsítque vias, cœlóque çucurrit,
A tergo ſparſis radiat fulgentibus æther,
Et lucis rutilans longo ſtat tramite ſulcus.
Gaudet Equus vacuo ſeſe committere Circo,
Effunditque jubas, laxíſque citatus habenis
Emicat, atque aureis calcaribus Ilia pandit.
Atque ea dum feſto celebrantur prælia ludo
Per campum, mediis è nubibus ipſe Cupido
Dulces inſidias furtim meditatur, & artem
Exercet, ludúmque ſuum, ſumptâque pharetrâ
Blandis plena dolis: & dulci tincta veneno
Noſtrarum in cœtus Nympharum ſpicula torquet
Improbus; accendítque animos, & ſuſcitat ignes.
Quæque ſuis agitur ſtudiis, ſua cuíque cupido eſt.
Applaudunt aliæ famæ, laudíque ſuorum,
Et vacuis monſtrant fixas cervicibus haſtas,
Deflevêre vices aliæ, ſortémque procorum,
Ictibus errantûm vanis. Quot vota ſecundis
Promiſêre Diis pugnæ: quot pectore ab alto
Spémque metúmque inter ſuſpiravêre puellæ!
Regina ante alias ardenti cuſpide fixa,
Infuſum totis percepit ſenſibus ignem
Molliùs, inſequitur votis, oculiſque pererrat,
Et ſtantem LODOICUM, & contemplatur euntem.
Sic Clytie, num flos riguis quæ pallet in hortis
Et mutata ſuos etiam nunc ſervat amores:
Illa ſuum, quamvis altis radicibus hæret,
Vertitur ad ſolem propenſa, & ſpectat euntis
Ora DEI, ſoliſque fidelibus accipit ignem.
Intereâ curſant vicibus, vicibúſque recurſant
Spe variâ pugiles; multos fortuna fefellit.
Ille cavo capiti necquicquam dirigit haſtam
Infelix, alius ſtridentia ſpicula fruſtra
Conjicit; infidas artes, & inutile ferrum
Increpitant alii pauci queis gloria palmæ
Monſtrat iter, nunquam deflexis ictibus errant.
Victorem quondam per tot diſcrimina Martis
Regem, etiam ficto ſequitur victoria bello.
Sive haſtâ jaculóve, aut ſtrictis enſibus, inſtat

Lau-

Lancea, directo non ſe detorquet ab ictu,
Non jaculum, nunquam prætefluit irrita cuſpis:
Jámque manu telum intentans, ſuprema parabat
Edere tentamenta artis, victórque futurus
Si lubet hanc, ſocii, laudem, placidámque relinquo
Palmam: inquit, bello vincam, vos vincite ludo.
Hæc ait; & rapido prævertens nubila curſu;
Sponte ſuâ vanum ſubridens impulit ictum;
Et ſprevit facilem ficto certamine palmam.
Fortunam excepit Regis victórque peractis
Curſibus emicuit Belfontius Ære canoro
Mille ſimul ſonuêre tubæ, mille undíque plauſus.
Seu duram dubiis pugnam committere campis,
Quærere ſeu pulchram liceat per vulnera mortem,
Aggeribúsque ſuis ſeptos perrumpere murros:
Æqua viro virtus: meritæ nunc munera laudis
Accipit, & lætum, Circo plaudente, Triumphum.
Spes alias laudis LODOICUS, & altera palma
Præmia conſtituit, famæque arrecta cupido
Magnanimos juvenes ſtimulis ingentibus urget,
Annulus appenſus ligno, facilíſque revelli
Orbe patet modico, per quem ſe lancea curſim
Inſinuet victrix, & cuſpide permeet aureâ.
Hunc tereti gaudent certatim avellere ferro.
Anceps pugna diu, nec fato curritur uno.
Curſus ille ſuos irriſâ inglorius haſtâ
Conficit, Hîc metam ludo delibat inani.
Exultantem animis alium malus impulit error.
Spes hominum, & vanas ridet victoria curas.
Anguſtum per iter, parvíque foraminis orbem
Intrudunt alii mediis in curſibus haſtas.
Poſt varios Equitum dubio certamine caſus,
Saltenſis per aperta Comes procedere geſtit
Æquora, & O noſtris, inquit, Sors annue votis:
Flectit Equum gyro exſiliens, & turbinis inſtar
Continuò rapitur ſtadio, ductúque fideli
Occupat exiguos aditus, parvúmque meatum
Orbiculi, totáque triumphat victor arenâ,
Mille inter plauſus hominum, ſonitúſque Turbarum.

Nos equidem celebrare tuas tentavimus artes:
Qui tum facta tuòsque legent, Rex Maxime, ludos,
Sic gerere imperium diſcant, ſic ludere Reges.

Pompa feſtivæ & hilari funebrem ſubjicio, ut hîc, quemadmodum in rebus humanis ſæpe accidit, lætis triſtia ſuccedant; & in utroque illo ſeu jucundarum ſeu triſtium Deſcriptionum genere, ſe ad Exempla, quæ propono, exercere tyronum poſſit induſtria.

ARGUMENTUM

Vigeſimi quinti Exempli Deſcriptionis Poëticæ.

GABRIELIS COSSARTI E SOCIETATE JESU
Tumulus.
ſeu
Juſta funebria,
Amantiſſimo Præceptori Gabrieli Coſſarto,
à dilecto gratóque Diſcipulo,
SANTOLIO VICTORINO
faventibus ejus dolori Muſis,
& in Coſſarti tumulum, plenis manibus, flores
ſpargentibus, perſoluta.

EXEMPLUM.

Vos placidi Manes, vos umbræ, animæque ſilentûm
Parcite, carminibus ſi veſtra ſilentia turbo,
Ille meus ſtudiorum, idem morúmque Magiſter,
Occubuit COSSARTUS; & alta in nocte reliquit
Mœrentes Muſas, doctas, & Apollinis artes.
Sint alii, triſtem tumulum qui floribus ornent:
Pallentes Violas, & purpureos Hyacinthos
Et pro more ferant accenſi thuris honores.

Vul-

Vulgaris pompa hæc fuerit vulgaribus umbris;
Longè alios; COSSARTE, tibi meditamur honores.
Primus ego ante alios longè mœſtiſſimus omnes,
Olli quà tumulum triſtes poſuêre Camœnæ,
Pulvere conſperſus caput, & ſubpallidus ora,
Lamentis implebo locum: dextrâque tremente,
Fumantem attollens tædam, luſtrabo ſepultos
COSSARTI Cineres: mox térque quatérque vocabo
Illius ingentem querulis clamoribus umbram.
Hîc aderunt mecum jam ingloria turba, Poëtæ,
Omnes funereis evincti tempora vittis,
In tumulum immotis defixi obtutibus omnes.
Confuſos inter gemitus lugubre ſonantes
Pulſabunt citharas: vocéſque ad ſidera tellent,
Quales Nupta ſolet cari poſt fata mariti.
Luctus ubique, & ubique dolor: Mors neſcia flecti
Secum umbras noctémque trahet, dirasque ſorores.
Si flecti eloquio potuiſſet; care Magiſter
Nunc oculóſque tuos, tua nunc ſimul ora tueri,
Et dantem præcepta iterum te audire liceret.
Illum Muſæ omnes, illum ſibi poſcet Apollo
Nequicquam: vobis ſilet æternúmque ſilebit.
Illius immenſas non uno carmine laudes,
Alterni repetent cantu; quibus ore profundo
Mens viget, & magnos agitat ſub pectore ſenſus.
Magni Oratores COSSARTI dicta retexent,
Attollent facta egregia: ut proſtraverit hoſtes
Fulminibus verborum, omni dum ex parte vagantur
Tartareæ peſtes rupto ex Acheronte profectæ.
Quæ nova in Antiquos ſpargebant dogmata ritus;
Oſtendent alij, pro Religione tuenda
Sæclorum tot opes, congeſta volumina Patrum,
Depoſitámque fidem, decreta antiqua priorum;
Quæ denſæ eripuit nocti & crudelibus umbris
COSSARIUS, dubiis infundens lumina rebus.
Tum quæ Conciliis manifeſto Numine pleni
Dictavêre Patres, manibus pia ſcripta tenebunt
Et pietas, & cana fides, & nuda vetuſtas.
His radiis induta, novâ ſub luce micabit

Religio, puro populos & lumine paſcet.
Sub pedibus domiti errores, fraudéſque retectæ
Et malè tuta frement poſitis mendacia larvis.
Hinc peplo velatæ, artes manifeſta doloris
Signa dabunt; toto Facundia pallida vultu
Nuda comas, & tonſa ſinus, muta ora tenebit;
Et quibus illa placet, vana ornamenta jacebunt.
Ingenuæ dicendi artes, molléſque figuræ.
Juxta pallidior numeros oblita Poëſis
Grande ſupercilium, & præclara inſignia frontis
Ponet, & incipiet Latios dediſcere faſtus.
Tum citharas & plectra, tubas, calamóſque refringet,
Triſtes exuvias, & inania munera vatum
Illius imponet memori figétque ſepulchro.
At dum quiſque ſuo ſtudet indulgere dolori,
Non adero pompæ vanus ſpectator, adeſte
Artifices magnorum operum, celebréſque Magiſtri,
Ipſe implebo meas tanto pro funere partes
Excelſam, ingentem, Pario de marmore ponam
Pyramidem, magno incumbat quæ multa ſepulchro:
Illa quidem invidiam contra, annorúmque ruinam,
Sculpta laboratis feret argumenta metallis.
Hic, COSSARTE, tuum facili excudatur in auro,
Quo ſeptemgemini ſonuerunt undique colles,
Magnum, anguſtum, ingens & non imitabile carmen.
Cernere erit triplices, Diademata ſacra Tiaras,
Stemmatáque, & pictor grandi ſub imagine vultus:
Ipſum & VECHIADEN, foſſus qui pectora ferro
Barbaricis tua, CHRISTE, ſonant dum numina terris.
Purpureâ meruit caput inſignire coronâ.
Addam cùm Latii quondam foret arbiter oris,
Judice ſub tanto, non ipſis credere Muſis,
Non ipſi Vates voluiſſent credere Phœbo,
Addam tot noctes, vigilataque ſcripta tot annos;
Tot præclara reperta, indefeſſóſque labores.
Si quando altarum tractaret pondera rerum,
Oſtendam, ut rivis doctrina undaret opertis:
Ut quondam cœli magno inflammatus amore,
Arderet juvenum teneros componere mores,

Hunc quoties, tenui nondum auſus fidere Muſæ,
Famæ avidus juvenis clam conſulturus adibam.
Ille quidem noſtros tollebat ad æthera verſus:
Et me digna loqui, me ſcribere digna Magiſtro,
Atque inhians pendere meo fingebat ab ore.
Protinus illectam per tot præconia montem
Flectebat, me multa dolens; magnique Tonantis
Conſilia abſtruſa, & totum reſerabat Olympum
Quærere me fruſtra magnum per carmina nomen:
Exuperans animi longè ſignabat honores;
Sed vaſto Oceano longum maris æquor arandum.
Tum maria & ſyrtes navifragas Sirenas
Monſtrabat facilèmque viam, curſumque docebat:
Omnia quæ puro deſcribam carmine Vates.
Nec, COSSARTE, tuos obitus, ſupremaque fata
Prætercam, duro in ſaxo cælabo dolorem
Ipſe meum. Vidiſtis enim & memorare poteſtis,
Quicúnque incolitis Clarii ſacra juga Poëtæ.
Me miſerum! his oculis vidi hanc procedere pompam
Ordine flammarum longo: vidi ipſe Magiſtri
Exequias triſtes, aut lamentabile funus,
Ibant pullati, dejectique ora ſodales,
Et longum per iter carmen ferale canebant,
COSSARTI, procul aſpicimus miſerabile corpus
Impoſitum molli feretro; quem torrida febris
Abſtulerat, crudæ ſub tempora prima ſenectæ,
Ut vidi preſſos oculos, pallentiáque ora:
Quos ah! tùm gemitus, quæ tum lamenta per auras?
Hos gemitus audiſtis & hæc lamenta Camœnæ.
Extremum adjiciam, quantos mea Gallia luctus
Mœſtior una tamen ſtudiis quæ præfuit olim
Melpomene, hos verſus dilecto inſcribet alumno.
Exilio è longo quas ille reduxerat artes,
Has moriens traxit ſecum, conditque ſepulchro.

Hactenus res, quarum deſcriptionem propoſui, ſuis coloribus ornatas, propriamque illarum ac nativam formam vidimus; nunc modus tradendus eſt, illas, ſub aliena imagine, per Allegoricam Deſcriptionem

nem exhibendi; quod quidem ſequenti Exemplo eximiè præſtitum ab hodierno primi nominis Poëta videbimus.

ARGUMENTUM
Vigeſimi ſexti Exempli Deſcriptionis Poëticæ,
Appendix ad fabulas Phœdri:
Ex Bibliothecâ Leidenſi.
SOL & RANÆ,
ſeu
Bellum contra Batavos à Gallis initum, Anno 1670.
Sub Allegoriæ Fabula deſcriptum.

EXEMPLUM.

Ranæ paludis incolæ, ambiguum genus
Limóque cretum, res in immenſum ſuas
Favore Solis auxerant; & jam boves,
Vicina circùm quæ tondebant gramina,
Ipſasque ripis pepulerant metu feras,
Quin ſe profundo credere auſæ gurgiti,
Facto ſiluros atque thynnos agmine,
Et provocarant ſæpe, & ſæpe vicerant.
Hinc faſtus illas cepit & ſuperbia,
Majúsque crimen, gratiarum oblivio.
Patroni Solis invidere gloriæ
Ingrata gens occepit, ac liventibus
Oculis tueri mundo adoratum jubar.
Nec ſe protervis abſtinent conviciis:
Nam ſive ad Indi littora obvertit rotas,
Equos Ibero ſive lavit flumine,
Sive arduam Leonis aſcendit domum,
Lunæve radiis cornua offudit ſuis!

Ranæ

Ranæ coaxant: & clamore inepndito
Queruntur omnia perdere: ultrices ſimul
Minantur iras, ni ſtet immotus Polo.
Pergenti curru flammeo non ſegniùs
Luſtrare terras, perfidæ tentant viam
Obſtruere. Fundo ab imo, cænoſos lacus,
Ulvasque putres & ſolo reſides aquas,
Pedibus petulcis commovent: Cœlo vapor
Conſurgit ater, & diem caligine
Extinguit almum. Riſit aſtrorum parens,
Et iſta veſtrum tela recidens in caput,
Procaces, inquit, beſtiæ. Ergo colligit
Radios virésque totas: inque fulmina
Nigros vapores, inque denſam grandinem
Momento vertit, & miſeras triſti opprimit
Ranas procellâ, fruſtra juncis corpora
Certant opacis tegere; fruſtra ſub luto
Defeſſæ, ſperant publicæ ſtragi eripi.
Sol rapidus haurit cuncta, & ipſas ignibus
Abſumit undas. Ranæ ſemiuſtæ crepant,
Milvisque & corvis dulce præbent pabulum,
Quarum una fertur cæteris conſultior
Dixiſſe moriens; jure pœnam exſolvimus,
Quæ pro bene factis ſola reddidimus mala,
At vos nepotes, diſcite vereri Deos.

A rebus ad perſonas tranſeamus, quarum deſcriptio non minus quàm rerum, elegantiam Verſuum, & Poëtæ requirit ingenium. Harum autem Deſcriptionum, quas Iconographicas libenter appellarim, quo ſunt genera, altero perſonæ veræ, fictæ perſonæ altero deſcribuntur, utriusque generis exemplum tradendum eſt.

ARGUMENTUM.

Vigeſimi ſeptimi Exempli Deſcriptionis Poëticæ.

LAMONIUS,

Pariſienſis Senatus Princeps, dum viveret, ſeu

Primarii Themidis Arbitri, omnibus numeris abſoluti,

IMAGO.

A PATRE JOANNE LUCA, S. J.
Exquiſitiſſimis elegantiæ Poëticæ coloribus adumbrata.

EXEMPLUM.

Inpacata fori tenere regna,
Pacatæ ſtudiis frui Minervæ;
Cum Grajis ſalibus ſales Latinos
Et puros patriæ modos loquelæ,
Et jus Francigenûm, exteraſque leges,
Omnes hiſtorias, & omnis ævi
Digeſtam ſeriem ac ſitus locorum,
Et quiquid potuit laborioſis
Scribentum genus explicare chartis,
Sive includere mentis eruditæ;
Nexus ſolvere juris impeditos,
Et depellere litium tenebras,
Moleſtas nimis & nimis malignas:
Inſontes ope ſublevare promptâ;
Et ſontes meritis domare pœnis;
Æquum pendere lance, quam clientum
Nec blandi gemitus nec ipſe poſſit
Favor deprimere, aut preces ſuperbæ,
Aulæ, cùm libitum, decus videri,
Urbis præſidium, decúſque malle,
Et patrem populi videri & eſſe;

For-

Fortunâ, ingenio, gradúque, & oris
Dote melliflui anteire cunctis;
In ſummos pariter potentem & imos,
Puro pectore ſimplicíque cultu,
Et ſemper placidâ allocutione,
Ferre ſe reliquis parem, aut minorem;
Summis ſic pariter placere & imis,
Cujum? nullius; aut tuum LAMONI.

ARGUMENTUM
Vigeſimi octavi Exempli Deſcriptionis Poëticæ,
Quo ficta perſona deſcribitur.
FAMA.
Ex Virgilianæ Æneidos, Lib. 4.

EXEMPLUM.

Fama malum, quo non aliud velocius ullum
Mobilitate viget, viréſque acquirit eundo;
Parva metu primo, mox ſeſe attollit in auras,
Ingreditúrque ſolo, & caput inter nubila condit.
Illam Terra parens, irâ irritata Deorum,
Extremam, ut perhibent, Cæo, Enceladoque ſororem
Progenuit, pedibus celerem, & pernicibus alis.
Monſtrum horrendum, ingens; cui quot ſunt corpore plumæ,
Tot vigiles oculi ſubter, mirabile dictu,
Tot linguæ, totidem ora ſonant, tot ſurrigit aures.
Nocte volat cœli medio, terræque per umbram
Stridens, nec dulci declinat lumina ſomno,
Luce ſedet cuſtos, aut ſummi culmine tecti,
Turribus aut altis, & magnas territat urbes:
Tam ficti, pravique tenax, quam nuntia veri.
Hæc tum multiplici populos ſermone replebat
Gaudens & pariter facta atque infecta canebat,

Huic

Nos equidem celebrare tuas tentavimus artes:
Qui tum facta tuósque legent, Rex Maxime, ludos,
Sic gerere imperium diſcant, ſic ludere Reges.

Pompa feſtivæ & hilari funebrem ſubjicio, ut hîc, quemadmodum in rebus humanis ſæpe accidit, lætis triſtia ſuccedant; & in utroque illo ſeu jucundarum ſeu triſtium Deſcriptionum genere, ſe ad Exempla, quæ propono, exercere tyronum poſſit induſtria.

ARGUMENTUM

Vigeſimi quinti Exempli Deſcriptionis Poëticæ.

GABRIELIS COSSARTI E SOCIETATE JESU Tumulus.

ſeu

Juſta funebria,

Amantiſſimo Præceptori Gabrieli Coſſarto, à dilecto gratóque Diſcipulo, SANTOLIO VICTORINO faventibus ejus dolori Muſis, & in Coſſarti tumulum, plenis manibus, flores ſpargentibus, perſoluta.

EXEMPLUM.

Vos placidi Manes, vos umbræ, animæque ſilentûm
Parcite, carminibus ſi veſtra ſilentia turbo,
Ille meus ſtudiorum, idem morúmque Magiſter,
Occubuit COSSARTUS; & alta in nocte reliquit
Mœrentes Muſas, doctas, & Apollinis artes.
Sint alii, triſtem tumulum qui floribus ornent:
Pallentes Violas, & purpureos Hyacinthos
Et pro more ferant accenſi thuris honores.

Vul-

Vulgaris pompa hæc fuerit vulgaribus umbris:
Longè alios; COSSARTE, tibi meditamur honores.
Primus ego ante alios longè mœſtiſſimus omnes,
Olli quà tumulum triſtes poſuère Camœnæ,
Pulvere conſperſus caput, & ſubpallidus ora,
Lamentis implebo locum: dextrâque tremente,
Fumantem attollens tædam, luſtrabo ſepultos
COSSARTI Cineres: mox térque quatérque vocabo
Illius ingentem querulis clamoribus umbram.
Hîc aderunt mecum jam ingloria turba, Poëtæ,
Omnes funereis evincti tempora vittis,
In tumulum immotis defixi obtutibus omnes.
Confuſos inter gemitus lugubre ſonantes
Pulſabunt citharas: vocéſque ad ſidera tellent,
Quales Nupta ſolet cari poſt fata mariti.
Luctus ubique, & ubique dolor: Mors neſcia flecti
Secum umbras noctémque trahet, dirasque ſorores.
Si flecti eloquio potuiſſet; care Magiſter
Nunc oculóſque tuos, tua nunc ſimul ora tueri,
Et dantem præcepta iterum te audire liceret.
Illum Muſæ omnes, illum ſibi poſcet Apollo
Nequicquam: vobis ſilet æternúmque ſilebit.
Illius immenſas non uno carmine laudes,
Alterni repetent cantu; quibus ore profundo
Mens viget, & magnos agitat ſub pectore ſeuſus.
Magni Oratores COSSARTI dicta retexent,
Attollent facta egregia: ut proſtraverit hoſtes
Fulminibus verborum, omni dum ex parte vagantur
Tartareæ peſtes rupto ex Acheronte profectæ.
Quæ nova in Antiquos ſpargebant dogmata ritus;
Oſtendent alij, pro Religione tuendâ
Sæclorum tot opes, congeſta volumina Patrum,
Depoſitámque fidem, decreta antiqua priorum;
Quæ denſæ eripuit nocti & crudelibus umbris
COSSARIUS, dubiis infundens lumina rebus.
Tum quæ Conciliis manifeſto Numine pleni
Dictavère Patres, manibus pia ſcripta tenebunt
Et pietas, & cana fides, & nuda vetuſtas.
His radiis induta, novâ ſub luce micabit

Religio, puro populos & lumine paſcet,
Sub pedibus domiti errores, fraudéſque receſſæ
Et malè tuta frement poſitis mendacia larvis.
Hinc peplo velatæ, artes manifeſta doloris
Signa dabunt; toto Facundia pallida vultu
Nuda comas, & tonſa ſinus, muta ora tenebit;
Et quibus illa placet, vana ornamenta jacebunt,
Ingenuæ dicendi artes; molléſque figuræ.
Juxta pallidior numeros oblita Poëſis
Grande ſupercilium, & præclara inſignia frontis
Ponet, & incipiet Latios dediſcere faſtus.
Tum citharas & plectra, tubas, calamóſque refringet,
Triſtes exuvias, & inania munera vatum
Illius imponet memori figétque ſepulchro.
At dum quiſque ſuo ſtudet indulgere dolori,
Non adero pompæ vanus ſpectator; adeſte
Artifices magnorum operum, celebréſque Magiſtri,
Ipſe implebo meas tanto pro funere partes
Excelſam, ingentem, Pario de marmore ponam
Pyramidem, magno incumbat quæ multa ſepulchro:
Illa quidem invidiam contra, annorúmque ruinam,
Sculpta laboratis feret argumenta metallis.
Hic, COSSARTE, tuum facili excudatur in auro,
Quo ſeptemgemini ſonuerunt undique colles,
Magnum, anguſtum, ingens & non imitabile carmen.
Cernere erit triplices, Diademata ſacra Tiaras,
Stemmatáque, & pictor grandi ſub imagine vultus:
Ipſum & VECHIADEN, foſſus qui pectora ferro
Barbaricis tua, CHRISTE, ſonant dum numina terris.
Purpureâ meruit caput inſignire coronâ.
Addam cùm Latii quondam foret arbiter oris,
Judice ſub tanto, non ipſis credere Muſis,
Non ipſi Vates voluiſſent credere Phœbo,
Addam tot noctes, vigilataque ſcripta tot annos;
Tot præclara reperta, indefeſſóſque labores.
Si quando altarum tractaret pondera rerum,
Oſtendam, ut rivis doctrina undaret opertis:
Ut quondam cœli magno inflammatus amore,
Arderet juvenum teneros componere mores,

Hunc quoties, tenui nondum auſus fidere Muſæ,
Famæ avidus juvenis clam conſulturus adibam.
Ille quidem noſtros tollebat ad æthera verſus:
Et me digna loqui, me ſcribere digna Magiſtro,
Atque inhians pendere meo fingebat ab ore.
Protinus illectam per tot præconia montem
Flectebat, me multa dolens; magnique Tonantis
Conſilia abſtruſa, & totum reſerabat Olympum
Quærere me fruſtra magnum per carmina nomen:
Exuperans animi longè ſignabat honores;
Sed vaſto Oceano longum maris æquor arandum.
Tum maria & ſyrtes navifragas Sirenas
Monſtrabat facilèmque viam, curſumque docebat:
Omnia quæ puro deſcribam carmine Vates.
 Nec, COSSARTE, tuos obitus, ſupremaque fata
Prætercam, duro in ſaxo cælabo dolorem
Ipſe meum. Vidiſtis enim & memorare poteſtis,
Quicúnque incolitis Clarii ſacra juga Poëtæ.
Me miſerum! his oculis vidi hanc procedere pompam
Ordine flammarum longo: vidi ipſe Magiſtri
Exequias triſtes, aut lamentabile funus,
Ibant pullati, dejectique ora ſodales,
Et longum per iter carmen ferale canebant,
COSSARTI, procul aſpicimus miſerabile corpus
Impoſitum molli feretro; quem torrida febris
Abſtulerat, crudæ ſub tempora prima ſenectæ,
Ut vidi preſſos oculos, pallentiáque ora:
Quos ah! tùm gemitus, quæ tum lamenta per auras?
Hos gemitus audiſtis & hæc lamenta Camœnæ.
 Extremum adjiciam, quantos mea Gallia luctus
Mœſtior una tamen ſtudiis quæ præfuit olim
Melpomene, hos verſus dilecto inſcribet alumno.
Exilio è longo quas ille reduxerat artes,
Has moriens traxit ſecum, conditque ſepulchro.

Hactenus res, quarum deſcriptionem propoſui, ſuis coloribus ornatas, propriamque illarum ac nativam formam vidimus; nunc modus tradendus eſt, illas, ſub aliena imagine, per Allegoricam Deſcriptio-

 nem

nem exhibendi; quod quidem ſequenti Exemplo eximiè præſtitum ab hodierno primi nominis Poëta videbimus.

ARGUMENTUM
Vigeſimi ſexti Exempli Deſcriptionis Poëticæ,
Appendix ad fabulas Phœdri:
Ex Bibliothecâ Leidenſi.
SOL & RANÆ,
ſeu
Bellum contra Batavos à Gallis initum, Anno 1670.
Sub Allegoriæ Fabula deſcriptum.

EXEMPLUM.

Ranæ paludis incolæ, ambiguum genus
Limóque cretum, res in immenſum ſuas
Favore Solis auxerant; & jam boves,
Vicina circùm quæ tondebant gramina,
Ipſasque ripis pepulerant metu feras,
Quin ſe profundo credere auſæ gurgiti,
Facto ſiluros atque thynnos agmine,
Et provocarant ſæpe, & ſæpe vicerant.
Hinc faſtus illas cepit & ſuperbia,
Majúsque crimen, gratiarum oblivio.
Patroni Solis invidere gloriæ
Ingrata gens occepit, ac liventibus
Oculis tueri mundo adoratum jubar.
Nec ſe protervis abſtinent conviciis:
Nam ſive ad Indi littora obvertit rotas,
Equos Ibero ſive lavit flumine,
Sive arduam Leonis aſcendit domum,
Lunæve radiis cornua offudit ſuis!

Ranæ

Ranæ coaxant: & clamore incondito
Queruntur omnia perdere: ultrices ſimul
Minantur iras, ni ſtet immotus Polo.
Pergenti curru flammeo non ſegniùs
Luſtrare terras, perfidæ tentant viam
Obſtruere. Fundo ab imo, cænoſos lacus,
Ulvasque putres & ſolo reſides aquas,
Pedibus petulcis commovent: Cœlo vapor
Conſurgit ater, & diem caligine
Extinguit almum. Riſit aſtrorum parens,
Et iſta veſtrum tela recidens in caput,
Procaces, inquit, beſtiæ. Ergo colligit
Radios virésque totas: inque fulmina
Nigros vapores, inque denſam grandinem
Momento vertit, & miſeras triſti opprimit
Ranas procellâ, fruſtra juncis corpora
Certant opacis tegere; fruſtra ſub luto
Defeſſæ, ſperant publicæ ſtragi eripi.
Sol rapidus haurit cuncta, & ipſas ignibus
Abſumit undas. Ranæ ſemiuſtæ crepant,
Milvisque & corvis dulce præbent pabulum,
Quarum una fertur cæteris conſultior
Dixiſſe moriens; jure pœnam exſolvimus,
Quæ pro bene factis ſola reddidimus mala,
At vos nepotes, diſcite vereri Deos.

A rebus ad perſonas tranſeamus, quarum deſcriptio non minus quàm rerum, elegantiam Verſuum, & Poëtæ requirit ingenium. Harum autem Deſcriptionum, quas Iconographicas libenter appellarim, quo ſunt genera, altero perſonæ veræ, fictæ perſonæ altero deſcribuntur, utriusque generis exemplum tradendum eſt,

ARGUMENTUM.

Vigeſimi ſeptimi Exempli Deſcriptionis Poëticæ.

LAMONIUS,

Pariſienſis Senatus Princeps, dum viveret, ſeu

Primarii Themidis Arbitri, omnibus numeris abſoluti,

IMAGO.

A PATRE JOANNE LUCA, S. J.
Exquiſitiſſimis elegantiæ Poëticæ coloribus adumbrata.

EXEMPLUM.

Inpacata fori tenere regna,
Pacatæ ſtudiis frui Minervæ;
Cum Grajis ſalibus ſales Latinos
Et puros patriæ modos loquelæ,
Et jus Francigenûm, exteraſque leges,
Omnes hiſtorias, & omnis ævi
Digeſtam ſeriem ac ſitus locorum,
Et quiquid potuit laborioſis
Scribentum genus explicare chartis,
Sive includere mentis eruditæ;
Nexus ſolvere juris impeditos,
Et depellere litium tenebras,
Moleſtas nimis & nimis malignas:
Inſontes ope ſublevare promptâ;
Et ſontes meritis domare pœnis;
Æquum pendere lance, quam clientum
Nec blandi gemitus nec ipſe poſſit
Favor deprimere, aut preces ſuperbæ,
Aulæ, cùm libitum, decus videri,
Urbis præſidium, decúſque malle,
Et patrem populi videri & eſſe;

For-

Fortunâ, ingenio, gradúque, & oris
Dote melliflui anteire cunctis;
In ſummos pariter potentem & imos,
Puro pectore ſimplicíque cultu,
Et ſemper placidâ allocutione,
Ferre ſe reliquis parem, aut minorem;
Summis ſic pariter placere & imis,
Cujum? nullius; aut tuum LAMONI.

ARGUMENTUM

Vigeſimi octavi Exempli Deſcriptionis Poëticæ,

Quo ficta perſona deſcribitur.

FAMA.

Ex Virgilianæ Æneidos, Lib. 4.

EXEMPLUM.

Fama malum, quo non aliud velocius ullum
Mobilitate viget, viréſque acquirit eundo;
Parva metu primo, mox ſeſe attollit in auras,
Ingreditúrque ſolo, & caput inter nubila condit.
Illam Terra parens, irâ irritata Deorum,
Extremam, ut perhibent, Cæo, Enceladoque ſororem
Progenuit, pedibus celerem, & pernicibus alis.
Monſtrum horrendum, ingens; cui quot ſunt corpore plumæ,
Tot vigiles oculi ſubter, mirabile dictu,
Tot linguæ, totidem ora ſonant, tot ſurrigit aures.
Nocte volat cœli medio, terræque per umbram
Stridens, nec dulci declinat lumina ſomno.
Luce ſedet cuſtos, aut ſummi culmine tecti,
Turribus aut altis, & magnas territat urbes:
Tam ficti, pravique tenax, quam nuntia veri.
Hæc tum multiplici populos ſermone replebat
Gaudens & pariter facta atque infecta canebat.

Huic

Huic Famæ Deſcriptioni è Virgilio deſumptæ, ejuſdem Famæ palatium, totamque famulantium Miniſtrorum turbam ex duodecimo Metamorphoſeon Libro ſubjicio, ubi omnia ficta ſunt: atque adeo tum perſonarum, tum rerum fictarum Deſcriptionem, Exemplumque ſuppeditant.

EXEMPLUM.

Orbe locus medio eſt inter terraſque fretúmque
Cœleſtéſque plagas triplicis confinia mundi,
Unde quod eſt uſquam, quamvis regionibus abſit,
Inſpicitur, penetratque cavas vox omnis ad aures,
Fama tenet, ſummáque domum ſibi legit in arce,
Innumeroſque aditus: ac mille foramina tectis
Addidit, & nullis incluſit limina portis.
Nocte diéque patet, tota eſt ex ære ſonanti,
Tota fremit, voceſque refert, iteratque, quod audit.
Nulla qui es intus, nullâque ſilentia parte;
Nec tamen eſt clamor, ſed parvæ murmura vocis;
Qualia de pelagi (ſi quis procul audiat,) undis
Eſſe ſolent; qualemve ſonum, cum Jupiter atras
Increpuit nubes, extrema tonitrua reddunt,
Atria turba tenet, veniunt lege vulgus, euntque;
Miſtaque cum veris paſſim commenta vagantur
Milia rumorum: confuſaque verba volutant,
E quibus hi vacuas implent ſermonibus aures,
Hi narrata ferunt alio: menſuraque ficti
Creſcit, & auditus aliquid novus adjicit autor,
Illic credulitas, illic temerarius Error,
Vanaque lætitia eſt, conſternatique timores,
Seditioque recens, dubiôque autore ſuſurri.
Ipſa quid in cœlo rerum pelagoque geratur
Et tellure videt; totumque inquirit in orbem.

Non ſatis eſt candidato Poëſeos artem diſcere, qua deſcribendæ res profanæ, & Poëticis tum numeris illigandæ, tum coloribus illuſtrandæ ſunt; Debet præterea laborare, atque in id diligentius incumbat, neceſſe eſt, ut ſuam Religioni Muſam conſecret, ſeque in argumentis piis, ac Chri-

Chriſtiano homine dignis exerceat. Quâ in re, Poëſeos delicias cum religionis majeſtate conciliare haud erit difficile, ſi Muſis & Apolline valere juſſis, ſacro divini Spiritus ac Deiparæ Virginis afflatu ſe totum impelli ſinat, ſi ad cœleſtis auræ beatos illapſus, genii (ut ita dicam) Poëtici, quem à regulis ſuperius traditis, & crebra lectione Poëtarum hauſit, vela explicet. Non igitur ſacro Poëtæ mutanda eſt oratio, ſed mutandum orationis argumentum: ſed quæ in profanis Deſcriptionibus didicit, nobiliori quæſitâ ſcribendi materiâ, ſunt ad res ſacras transferenda. Hujusmodi Deſcriptionum unum aut alterum Exemplum affero, è quibus facile quivis intelligit, quâ ratione alia omnia rerum ſacrarum argumenta poëticè deſcribi & explicari poſſint.

ARGUMENTUM
Vigeſimi noni Exempli Deſcriptionis Poëticæ.
CHRISTUS NASCENS.
ſeu
Poëtica naſcenti, Chriſti Deſcriptio.
Ex Lib. 2. Heroici Poëmatis, de Partu Virginis
Authore SANNATARIO, Neapolitano,
ſui temporis Virgilio,
Italorum Poëtarum nulli ſecundo.

EXEMPLUM.

Tempus erat, quo nox tardis invecta quadrigis
Nondum ſtelliferi mediam pervenit Olympi
Ad metam, & tacito ſcintillant ſidera motu.
Cum ſylvæque, urbesque ſilent; cum feſſa labore
Accipiunt placidos mortalia pectora ſomnos,
Non fera, non volucris, non picto corpore ſerpens
Dat ſonitum, jamque in cineres conſederat ignis

Ulti-

Ultimus ; & ſerâ perfuſus membra quiete
Scrupoſo ſenior caput adclinaverat antro.
Ecce autem nitor ex alto novus emicat, omnémque
Exuperat veniens atræ caliginis umbram :
Auditíque chori ſuperûm, & cœleſtia curvas
Agmina pulſantum citharas, ac voce canentum,
Agnovit ſonitum ; partúsque inſtare propinquos,
Haud dubiis Virgo ſentit lætiſſima ſignis.
Protinus erigitur ſtratis, cœloque nitentes
Attollit venerans oculos, ac talia fatur:
Omnipotens genitor, magno qui ſidera nutu
Aëriósque regis tractus; terrasque fretumque,
Ecquid adeſt tempus, quo ſe ſine labe ſerenam
Efferat in lucem ſoboles tua? quid mihi tellus
Rideat, & teneris depingat floribus arva?
En! tibi maturos fructus, en! reddimus ingens
Depoſitum: tu ne qua pio jactura pudori
Obrepat ſummo defende, & conſule cœlo.
Ergo ego te gremio reptantem, & nota petentem
Ubera, Care puer, molli ſtudioſa fovebo
Amplexu? tu blanda tuæ dabis oſcula matri
Adridens; collóque manum, & puerilia nectens
Brachia: & optatam capies per membra quietem?
Sic memorat fruiturque Deo, comitumque micanti
Agmine, divinisque animum concentibus explet.
Atque olli intereà revoluto ſidere felix
Hora propinquabat. Quis me rapit; accipe vatem
Diva tuum, rege Diva tuum, feror arduus altas
In nubes: video totum deſcendere cœlum
Spectandi excitum ſtudio: da pandere factum
Mirum, indictum, inſuetum, ingens: abſiſtite curæ
Degeneres, dum ſacra cano, jam læta laborum,
Jam non tacta metu, ſæcli Regina futuri
Stabat adhuc, nihil ipſa ſuo cum corde caducum,
Nil mortale putans: illam natusque paterque,
Quique prius, quam Sol cœlo, quam luna niteret,
Spiritus obſcuras ibat ſuper igneus undas;
Stant circùm, & magnis permulcent pectora curis:
Prætereà redeunt animo, quæcunque verendus

Dixe-

Dixerat interpres: acti ſine pondere menſes,
Servatusque pudor: clauſâ cum protinus alvo
(O noctem ſuperis lætam, & mortalibus ægris)
Sicut erat foliis, ſtipulaque innixa rigenti.
Divinum ſpectante Polo, ſpectantibus aſtris
Edit onus; qualis rorem cum vere repenti
Per tacitum matutinus deſudat Eous:
En! paſſim teretes lucent per gramina guttæ:
Terra madet, madet aſperſâ ſub veſte viator
Horridus, & pluviæ vim non ſenſiſſe cadentis
Admirans, gelidas nudo pede proterit herbas.
Mira fides, puer æthereas jam lucis in auras
Prodierat, fœnoque latus male fultus agreſti,
Impulerat primis reſonum vagitibus antrum.
Alma parens nullos intra præcordia motus,
Aut incurſantes devexi ponderis ictus
Senſerat: hærebant immotis viſcera clauſtris.
Haud aliter, quam cum purum ſpecularia ſolem
Admittunt: lux ipſa quidem pertranſit & omnes
Irrumpens laxat tenebras & diſcutit umbras:
Illa manent illæſa: haud ulli pervia vento,
Non hyemi, radiis ſed tantùm obnoxia Phœbi.
Tunc puerum tepido genitrix involvit amictu,
Exceptumque ſinu, blandéque ad pectora preſſum
Detulit in præſepe. Hic illum mitia anhelo
Ora fovent jumenta. O rerum occulta poteſtas!
Protinus agnoſcens Dominum procumbit humi bos
Cernuus, &, mora nulla, ſimul procumbit aſellus
Submittens caput, & trepidanti poplite adorat
Fortunati ambo; non fors aut fabula Cretæ
Polluet; antiqui referens mendacia furti,
Sidoniam mare per medium vexiſſe puellam,
Aut ſua dum madidus celebrat portenta Cythæron
Infames inter Thyrſos, vinoſaque ſacra
Arguet obſequio ſenis inſudaſſe profani.
Solis quippe DEum vobis & pignora cœli
Noſſe datum, ſolis cunabula tanta tueri,
Ergo dum refluo ſtabit circumdata fluctu
Terra parens, dum præcipiti vertigine cœlum

Vol-

Volvetur, Romana dius dum templa Sacerdos
Rite colet; veſtri ſemper referentur honores,
Semper veſtra fides noſtris celebrabitur aris.

ARGUMENTUM
Trigeſimi Exempli Deſcriptionis Poëticæ.

CHRISTUS FLAGELLIS CÆSUS, SPINIS CORONATUS, POPULO OSTENSUS.

Ex Lib. 20. Poëmatis, de Moſe viatore editi.

Authore
P. ANTON. MILLIÆO, S. J.

EXEMPLUM.

Præcipitant igitur, totóque à corpore veſtes
Diripiunt. Proh ſancte pudor! ſic tu quoque probris,
Sic oculis torquendus eras! impuráque nudo
Militis ora pati placuit? neque protinus aſtra
Oppreſſere diem tenebris; ſolémque ſupinum
Excuſſere jugo? neque præſto cœlitus adſunt
Ultores Sodomæ gemini, qui lumina figant
Impia, & æternis damnent effoſſa tenebris?
Tu quoque flagitiis toties heu! perdite noſtris
Pendere debueras pudor! has ſub verbere pœnas,
Sic placuit tibi virgineum inſtaurare colorem.
Intendunt igitur nudato brachia vinclis;
Transverſóque jugo fixis hinc inde columnis
Suſpendunt, loriſque ſecant à vertice ad imos
Usque pedes, per utrúmque latus, per terga, per armos,
Collaque pectoráque: innumeris ſonat ictibus acta
Taurea, ſanguineíque ulmis, & vimine faſces.
Rumpuntur, truncæque volant à corpore virgæ,
Altius aut fulcis merſæ rorantibus hærent.
Inſtant crudeles repetitâ incude miniſtri,

Nec

Nec quadragenas minus unâ infligere plagas
Sollicitì, petitur populo miſerabile pœnæ
Oſtentum, placare feras quod poſſit & ipſos
Immanes ſolo aſpectu terrere leones,
Alternántque vices feſſi, nec verbera lege,
Nec numero, nec more rotant. Jam tergora coſtis
Rapta fluunt, numeranda horrent ſine pedibus oſſa,
Hoſtia nudata eſt detracto vellere & unum
Cernitur informi toto jam corpore vulnus,
Ille animam invictam venis remoratur apertis,
Quam furiæ elapſam tot jam per vulnera vellent;
Seque animo ingenti crucis ad tormenta reſervat.
Nec gemitus ullos inter tot verbera fundit,
Carnificúmque operâ manuum, ſævire paternam
Juſtitiam putat, atque hominum ſic parcere pœnis.
Ut rabies tandem plagis expleta reſedit,
Viſa cohors circùm petulanti inſiſtere ludo.
Seminecem ſolio ſtatuunt; ægréque ſedenti
Inducunt humeris ſplendentem murice pallam,
Exuvias Regum veteres, & pectore ſummo
Notatam, retrò ad talos à vertice fundunt.
Tum capiti inſertant torto de vimine Rhamni
Spinarum ſegete horrentem, vallóque coronam:
Immiſſamque comis adigunt; & arundine pulſant,
Tenditur in frontem mordax; & tempus utrúmque
Vi multâ, pulſúque frutex; pulſu horrida ſylvâ
It cerebro, fixiſque ſubit mucronibus oſſa,
Purpureæ turgent per mille foramina gemmæ,
Volvuntur roſeæ per frontem, & tempora guttæ;
Hærentéſque comas rubeus collo alligat imber.
Hâc ſpecie tandem, viſu miſerabile? Regem
A capite ad talos lacerum, Pilatus in altis
Porticibus procerum, & populi producit in ora,
Lictores gemini exhauſtum, & genua ægra labantem
Suſtentant hinc inde manu velamina Præſes
Ipſe ſuâ diductâ humeris, & pectore tollens,
Oſtentat lacerum populo, & miſereſcere ſuadet.
Deſinite ô tandem irarum, cæcique furoris.
Ecce hominem, immeritum letho quem poſcitis; *Ecce!*

Quem timeat *Cæſar*, regnóque exterritus orbis.
Jam nimis hoc, & plus æquo ſævimus in hoſtem,
Si foret, ac talem leges & facta probarent.
Et cruce jam graviora reor, quæ pertulit inſons.

ARGUMENTUM
Trigeſimi primi Exempli Deſcriptionis Poëticæ.
CHRISTI MIRACULA.
Ex Eleg. 3. L. 1. Eleg. Gilberti Jonini, S. J. Poëtæ elegantiſſimi.

EXEMPLUM.

Juſſu Chriſte tuo, juvenum mirante corona,
    Erubuit ſubito lympha parata mero.
Plena coronabat puro ros vaſa fluento.
    Hauſtæ de puteo vena tenebat aquæ.
Verbo facta merum eſt; & vino cedere viſus
    Cúmque colore ſapor, cùmque ſapore color.
Quid loquar, ut juſſi tenuere ſilentia venti?
    Ut timidi tumidas depoſuere minas?
Quum fluctus pavidos, tempeſtatemque ſonoram
    Compoſuit famulo dextra timenda mari.
Obſtupuêre undæ, quum vox tribus ardua verbis
    Frangeret attonitos imperioſa notus.
Calcantes timuit plantas mare tingere, & altum
    Cæruleæ greſſum ſuſtinuêre viæ.
Illibata mari veſtigia pendula ſenſit
    Non auſa audaces ſpuma notare gradus.
Æternis olim tenebris damnata negatum
    Viderunt pulsâ lumina nocte diem,
Nulla Machaonios admovit dextera ſuccos:
    Impoſito eſt oculis lux reparata luto.
Sic DEUS humanas res temperat: omnia mutat
    Natura arbitrio ſubdita jura ſuo.
Sic olim Hebræis, fruſtra indignante camino,
    Lambebat teneras roſcida flamma comas.

Sic

Sic aqua ſacrificas urnis effuſa per aras
Accendit cæſos igne latente boves.
Quæ prius annoſo torpebant vincta veterno,
Reppetiere ſuas membra ſoluta vices.
Morbidus effœto ceſſit de corpore languor
Sæpius, & rediit vivus in ora decor.
Qualis vere novo, quum jam clementior annus
Mittit in Arctoas frigora pulſa domos.
Ridet humus, florumque novos oſtentat amictus,
Atque iterum campis vita colórque redit
Vox tua, Chriſte, vagos in retia inania piſces
Invitos mediis currere juſſit aquis.
Illa graves ſolvit ſtringentia vincula linguas,
Et faciles muto duxit ab ore ſonos,
Illa diu clauſas ſurdorum pertudit aures.
Ut patulâ exciperent libera verba viâ.
Illa etiam, qua ſaxa aditum tumulíque negabant,
Exciit aggeſto funera tecta ſolo,
Pallentéſque animas gelidos revocavit in artus
Et fati & mortis ſolvere jura potens,
E limbo illa tuos excivit, Lazare, manes,
Condita quum ſolidus clauderet oſſa lapis.
Audiit innocui tenebroſum limen Averni,
Audiimus Sancti (candida turba) Patres.
Venerat umbra recens, cæcâque errabat in aulâ
Moxque pedem ad Superos, juſſa redire, tulit.
Narrabat Patrum cupidæ miracula turbæ,
Dum facili totus pendet ab ore chorus:
Orbis qua ſeries, quis mundum volveret ordo:
Qua gerat Herodes non ſua ſceptra manu.
Quæ Chriſto facies, quæ vox, quæ fronte ſerenâ
Majeſtas, placido quantus in ore decor,
Hic deſiderii, productarumque morarum
Impatiens, Chriſtum lætior aula vocat.
Quum revocata ſono medio in ſermone reſiſtit,
Et modò decurſum læta recurrit iter.
Ingreſſura diu tabo deforme cadaver
Horruit, ignotam ceu peregrina domum.

Mox ſubit, & totis decurrens artubus, aptum
Officiis vitæ corpus inani facit.
Et, jam marmorei dimotâ mole ſepulchri,
Pulchrior è tumulo Lazarus ora levat.
Miratur tacitum confuſo murmure vulgus,
Et variâ diſcors mente corona fremit.
Viderat hæc Solyme; & poſt tot miracula rurſum
In Domino movit perfida tela caput.
Impiaque inſanam Moriens qua reſpicit urbem,
Suſtulit infami lurida membra cruce.

ARGUMENTUM
Trigeſimi ſecundi Exempli Deſcriptionis Poëticæ.
DEIPARÆ VIRGINIS,
Terram relinquentis, & in cœlum evectæ, TRIUMPHUS.
Ex Heroicorum Lib. P. Joan. Chevalier, S.J.
EXEMPLUM.

Interea ſuperas it nuncia fama per arces:
Obvia venturæ veſtigia ferre parenti
Cælicolum Regem, & Solymis ſuccedere tectis,
Pandere mox cœlum, & fremere omnia viſa repentè.
Idem omnes ſimul ardor agit, pennata recluſis
Agmina ſe fundunt portis bipatentis Olympi:
Millia naſcentis quàm multâ ab origine mundi
Æthereis coiêre plagis; ter & agmina terna,
Terque duces terni, dextrâ frondentis olivæ
Prætentant ramos, auróque oſtróque decori.
Ilicet adventum celerem teſtata tonantis
Intremuêre poli latè loca: turbine Chriſtus
Emicuit rapido, mediâque in nube refulſit,
Verus & aſpectu patuit Deus: aurea fundit
Lumina Cæſaries, humeris dependet amictus,
Intactaſque nives, & candida vincere juſſus
Lilia, nec ſecus egregio pulcherrimus ore,

Penni-

Pennigeras acies inter, plauſusque ſuorum
It medius, quam cum abrupti ſe vertice montis
Vatibus immiſcens, ſociúsque ex agmine lectis;
Flammivomum claro Titanem vertice fudit,
At ſimul aſſurgens Phœbææ lampadis inſtar
Virgineus radiavit apex & cognita fulſit
Diva choris, cōmmota repens ad ſidera clamor
Tollitur; ingeminant crebros nova gaudia plauſus
Pulſantûm citharam, & lætum pæana canentûm:
Hi plectro indulgent, fidibusque; his tibia cantus
Dat biforés, alii cava cornua flatibus implent
Clangentésque tubas & ahenea cymbala jactant.
Aligerûm ſeſe turmis claudentibus addens,
(Mira fides) non viſa priùs reſonabilis Echo,
Hactenus & terris tenuis ſine corpore vita,
Totum pervolitat vocalibus æthera pennis,
Et ciet innumeros fœcundo gutture cantus.
Accepit ſonitum curvo Jordanis in antro,
Balſameas inter viſus ſe tollere frondes,
Contentáque polo ſubeuntem voce ſalutat.
I decus, i terræ, melioribus incipe ſceptris
Jam Superûm Regina frui: Jordanis ad auras
Quod tantus ſe laude vehit, quod flumina tantùm
Cætera vincit aquis, quantum nutantia celſo
Vertice ſylveſtres ſuperant querceta myricas;
Diva tuum eſt: memori manet æternumque manebit
Mente dies, tua cum noſtro ſe proluit amne
Progenies, tactúque undas & amœna ſacravit
Littora: ſidereas cum vox emiſſa ſub auras.
Ac tonitru cœlum omne ciens certiſſima Patris
Pignora vulgavit: nitidas argentea pennas,
Nubila cum tranans Chriſtum ſuperadſtitit ales.
Scilicet ex illo medicos devolvere fluctus
Cepimus, & diras mœſtis avertere peſtes
Corporibus, lethique minas arcere furentis,
Vis fuerat non illa priùs, cùm ſeptima tantùm
Candentem eluerent ægro de corpore lepram
Flumina Ductoris Syrii. Dum mortua vivo
Æquora fonte petam, clauco dum cingit amictu

 Ce-

Cæruleus, dabo balſameos dum vertice rores
Laudes Virgo tuas immortaleſque triumphos
Dicet utrumque latus, quæ plurima cingit arundo.
Tu modo ne teneri munuſcula deſpice cultus.
Dixit, & ambroſiâ lætus ſe condidit alga.
Funderet æternos ac ſideris accola cantus,
Obvia ni nato ſe tolleret occurſanti
Mellitiſque parens daret oſcula mixta loquelis,
Ocyus ergo illi palmas utraſque tetendit.
Preſſit & amplexu venientem, ac talibus infit:
Te quis amor, quæ te pietas, pulcherrimè rerum,
Impulit, ut caræ velles occurrere matri?
Flagranteſne DEI vultus, & amata tueri
Ora datur, quibus Eois ſe phoſphorus undis
Ceſſerit attollens, Sol ceſſerit aureus ortu?
Tune ille ah! populis quondam deſpectus Idumes!
Tune ille immiti fœdatus tempora tabo,
Squallenteſque genas atque atro pulvere crines?
Tu genus infandum lethi cruce paſſus ab altâ?
Hunc ego! te Nate? ah quantum mutatus ab illo!
Dixit & infundens collo ſe tota refuſi
Numinis, hoc arctis totum complexibus hauſit.
Cui ſoboles tandem: O Mater, verſanda repoſcunt.
Æthereâ quam ſceptra plagæ, per inane ruentes
Cernis ut aligeri vario te carmine dicant?
Hoc pietas, hoc exhauſti meruere labores.
Optatam terris ſobolem, & ſperata dediſti
Gaudia Mortali vetito ſuccedere cœlo
Et vacui per ſe complere ſedilia cœli
Tum valeant: dúmque innocuo pulcherrimus igne
Accendat terras, & pervia ſidera Titan,
Stabit apud memores tantarum gratia rerum.
Oppida ſupplicibus totum numeroſa per orbem
Te votis precibuſque potens in rebus egenis
Auxilium præſens: vitali lumine caſſos,
Humanam miſerata vicem revocabis ad auras
His celeres greſſus, aliis revocabis ademptum
Lumen & obſtructas aures; his vincula linguæ,
In laudes ſolvenda tuas; imponet honorem,

Turba

Turba frequens aris, ſtatuent immania Reges
Templa tibi, qua terra patet circumflua ponto,
Bella gerat Superis olim, & mortalibus ægris
Impietas; centúmque eructans faucibus ignes
Horrificos ſtimulet dira in certamina Manes,
Dux erebi; aſſurges felici Marte Virago
Terribilis, ceu caſtrorum, lati æquore campi
Ordinibus directæ acies, cum longa cohortes
Explicuit legio, denſis & aheneus haſtis
Horret ager, jam jamque hoſtis premit arduus hoſtem,
Longior at qua nos mediis mora detinet auris?
Ocyus æthereis ſuccede penatibus hæres,
Et nos & tua Mater adit. Sic fatus in altos
Irruit amplexus, & collo dulce pependit
Martis onus; tum nixam humeris attollit olympo
Numinis & ſummi celſa ad penetralia ſiſtit
Quid Patris amplexus, libata quid oſcula natæ,
Inque vicem data verba canam? ſolióque nitentes
Sardonychas, ſmaragdos, adamantas, jaſpidas, alto,
Biſſenis memorem radiantia temporalatè
Sideribus? rutilos Phœbææ lucis amictus?
Noctivagæ ſuppoſta pedi quid cornua lunæ?
Pierio mihi tanta nefas tenuare cothurno,
Mille nec Aoniæ linguas, mille ora ſorores
Si tribuant, totidemque ruat per pectora Phœbus,
Auguſtæ valeam percurrere Matris honores.

Antequam ab his ſacræ & religioſæ Poëſeos exemplis ad alia tranſeam; unum eſt, quod Chriſtianum Poëtam monere debeo, ne ſcilicet quidquam in ſacra Poëſi fabuloſum & profanum admiſceat; cujuſmodi eſt illud, quod in hoc ultimo exemplo licet animadvertere, ubi Echo inſtar Nymphæ cœleſtium choris immiſcetur: ubi Jordanis fluvius inſtar vel hominis vel Numinis Deiparam Virginem alloquens inducitur.

§. III.
De Amplificatione per comparationes & ſimilitudines.

PRimus hujus Amplificationis modus eſt per comparationes facillimas, ſeu per Adjectiva pro Epithetis addita nomini Subſtantivo, & à poſitivo in comparativum gradum traducta. Hoc amplificationis genere eleganter uſus eſt P. Petrus Violet, Soc. Jeſu, in ſylva, ubi loquens de Mariæ ſine labe conceptæ objectâ ſpecie viro ejus gloriæ ſtudioſiſſimo, ſic ait:

Talia verſanti ſpecies objecta puſillæ
Virginis, in primo quæ ſtaret limine vitæ,
Purior illimis rivi undâ, lacte recenti
Candidior, ſtellis formoſior una.

Hoc in Exemplo, Epitheta ſeu Adjectiva Virgini ſic ſe exhibenti attributa ſunt iſta, *pura*, *candida*, *formoſa*, quæ de poſitivo gradu in comparativum tranſlata, viam facilem & elegantem aperiunt longius diffundendæ orationis.

Secundus amplificandi modus eſt per ſimilitudines, quarum vis per Verba Activa elegantius, quam per Adjectiva exprimitur. Hujus Amplificationis præclarum habes exemplum apud P. Goleti, Societ. Jeſu, qui de Virgine Deiparâ in Cœlum evectâ loquens, ſplendentem in ejus vultu gratiam deſcribit per ſimilitudines, & oculos ejus inſtar flammæ pulcherrimæ ſcintillantes, frontem & genas liliis candore ſimiles, labra corallio roſiſque æmula proponit.

Aſpicis ut geminos accendat luminis orbes
Gratia; divinam depingant lilia frontem.
Lilia pura genas; puris inſculpta labellis
Purpureos referant, ſuperentque corallina flores.

§. IV.
De Amplificatione per congeriem Sententiarum.

ISte amplificandi modus in praxin uſûmque reducitur, cum fiunt vel exemplorum, vel cauſarum vel effectuum,

ctuum, vel aliorum Rhetoricæ Locorum conglobationes; & ſingula hujus amplificationis membra per modum ſententiæ proponuntur. En! ex Ovidio elegans hujus amplificationis Exemplum, cujus argumentum eſt iſtud: *Multis jam defunctus malis, ac defeſſus timere deinceps quid ſimile; & cautè ac ſollicitè mihi conſulere debeo.* Hæc autem ſententia his verbis proponitur: *Da veniam feſſo, nimioque ignoſce timori;* Et poſtea amplificatur Exemplis nautarum, piſcium, columbarum, agnarum, in quibus laudatur timor, & Phaëtontis, qui ſi viveret, ſalutari timore ſibi ſuæque ſaluti conſuleret,

Da veniam feſſo, nimióque ignoſce timori
Tranquillas etiam naufragus horret aquas.
Qui ſemel eſt læſus fallaci piſcis ab hamo,
Omnibus una cibis æra ſubeſſe putat.
Terretur minimo pennæ ſtridore columba,
Unguibus, accipiter, ſaucia facta tuis.
Non procul à ſtabulis audet diſcedere, ſi qua
Excuſſa eſt avidis dentibus agna lupi.
Vitaret cœlum Phaëton, ſi viveret, & quos
Optavit ſtultè, tangere nollet equos.
Sæpe canem viſum longè fugit agna, lupúmque
Credit, & ipſa ſuam neſcia vitat opem.

SECTIO III.

De Mutatione Sententiæ per Detractionem.

Ex iis, quæ de amplificandi ratione dicta ſunt, facile eſt cognoſcere, quâ ſimiliter ratione ſententia contrahi poſſit. Quibus enim rebus illa creſcit, iisdem poteſt decreſcere; ut, qui campum ductis longe limitibus ampliavit, idem rurſum adductis limitibus, poteſt diffuſam illam parentis campi planitiem arctiori ſpatio definire. Si igitur perſpectum habeas, quibus verbis aucta & amplificata ſit ſententia, quam contractiorem eſſe cupis, ſtatim intelligis, iis detractis, ſententiam effici poſſe breviorem. Quia vero aliquæ etiam voces

præter ſolitum conſtructionis ordinem, in oratione reticeri ſolent per figuram Syntaxeos, quæ Ellipſis dicitur; earum quoque vocum detractione tuam ſententiam arctioribus numeris circumſcribes. Vide, quæ de illa figura in prolegomenis diſtinctè ſatis & copiosè ſcripſimus.

CAPUT IX.

De Poëtica Vocum & Phraſeωn Elegantia.

A Longâ & difficili tractatione, ad aliam non minoris negotii Artis hujus Metricæ partem explicandam progredior. Hic enim, poſtquam de Epithetorum delectu non pauca; poſtquam de vocibus & ſententiis ad Poëticam elegantiam & leges metricas, mutatione facili accommodandis multa ſuperius dicta ſunt: nunc in ipſos hujus elegantiæ fontes intendendus eſt digitus. Quærendum ſcilicet nobis eſt: Unde illa manet in Poëtarum verſus peculiaris dicendi ratio, quam in iis ſtatim ſuſpicimus, quæque vel imperitos quosvis, nedum teretes & delicatas aures adeo delectat. Hic autem Metricæ orationis character cùm tam latè diffundatur, quàm latè Poëtici libertas ſtyli, & volucre Poëtarum ingenium excurrit: nemo profecto non intelligit, quàm ſit difficile, res tam multas, tam varias, aliquando etiam obſcuras, certis quibusdam præceptis adſtringere, & paucorum capitum veluti ambitu coërcere.

Illud tamen affirmare minimè dubito, ſi quis in Poëticæ dictionis vim & diſcrimen attentius perpendat, illum mihi aſſenturum dicenti, peculiarem iſtam, quam laudavi, Poëtarum elegantiam totam fere in Figuris Syntaxeos, Tropis Rhetorices, Enumerationis loco, deſcriptionis figura, uſurpatione fabularum, & certis quibusdam loquendi formulis & Idiotiſmis Poëtis contineri. Quod ut planum tibi exploratumque ſit, amice Lector, ad tuam te fidem, libénmque provoco. Sume, quem volueris Poëtam; evolve illum diligenter, in omnes ejus partes confer oculos; Et illi qui te verſus præ ceteris delectent, ſi quid tibi novum,

vum, elegans, & admirabile appareat, hujus novitatis tuæque admirationis cauſam inquire, ac niſi elegantiam & admirabilitatem illam ex iis cauſis, quas modo attuli, oriri tu ipſe comprobaveris; cauſa me protinus fatebor cecidiſſe.

Ut igitur eodem, quo cœpi, ordine progrediar, in vocibus primùm, tum in ſentiis, deinde Amplificatione Poëtici ſtyli elegantiam, ex iis, quos dixi, fontibus, derivatam oſtendam.

SECTIO I.
De Poëticarum vocum Elegantia.

POëticarum vocum elegantiam è figuris Syntaxeos, tropis Rhetorices, fabularum commentis, & Idiotiſmis Poëticis oriri, quæ ſequuntur exempla, confirmabunt. Ex iis enim, licet numero pauca ſint, quid de reliquis omnibus Poëtarum vocibus, quibus ineſt præcipuus elegantiæ lepos, ſentiendum ſit, facilè judicabis:

Ad *Enallagen*, figuram Syntaxeos, vel ad Synecdochen Rhetorices tropum pertinent *MULTUS* & *PLURIMUS*, quæ in ſingulari numero ad plures ſignificandas res eleganter à Poëtis uſurpantur. Ut ſi de Libano monte dicas: —- ---- *Ubi plurima Cedrus*

Spargit odoratos diffuſa in nubila ramos.

Im hunc ſenſum Martialis ſcripſit:

Atque ſuper vatem multa pependit avis.

Adjectivum nomen *plurimus* in adjunctum ſubſtantivis, quorum numerus non expeditur, ſed moles aut longitudo; eam certe ſignificat, ſed ſolitò majorem, quæque plurium rerum ejusmodi rationis magnitudinem æquare poſſit; atque ita numerum plurium vel ſic exprimit. Ut vides in hoc Virgiliano verſu:

Jamque aſcendebant collem, qui plurimus urbi
Imminet.

Id eſt, longè procurrens.

Ad Tropos Rhetoricæ pertinent iſtæ voces Poëtis maximè familiares

MU-

MUNUS & DONUM. Quæ voces, ſi ad res inanimas transferantur, ſunt Metaphoricæ; ſin autem rebus animatis tribuantur, aut nihilo cæteris vocibus elegantiores erunt, aut Fabulam ſonabunt. Metaphoras ſignificant in his verſibus:

Mox ubi ſe modicæ recrearunt munere menſæ.

Id eſt, modicis cibis; vox *munus* transfertur ab hominibus ad menſam.

Portat odorato munera verna ſinu. Biderm.

Id eſt, flores; vox *munus* transfertur ab hominibus ad hortos, aut ſi dicas, ad *ver* transferri; fabuloſam inducis perſonam, atque ita vox *munus* ad Fabulam pertinebit:

Quod Cilicum flores, quod munera graminis Indi, &c. Stat.

Fabulam ſonant iſta. *Munera Floræ, veris munera:* id eſt, flores, *Pomonæ munera*, id eſt fructus: *munera collium*, id eſt, vites, uvæ, &c. & *Autumni munera*, quæ omnia illa fructuum genera complectuntur. Ita *Cereris munera aut dona*, ſegetes & panem; *Bacchi munera*, vites aut vinum ſignificant.

--- --- Atqui non *Maſſica Bacchi*
Munera, non illis epulæ nocuere repoſtæ, Virgil.

Id eſt, vinum.

Dona laborata Cereris. Virgil.

Id eſt, panis.

OPES, HONOR, ſunt voces metonymicæ & effecta, quæ pro cauſæ nomine à Poëtis elegantiſſimè uſurpantur.

Hortorum hic calcantur opes, ſertóque recenti
Subter humus congeſta, & odoris floribus halat. Petav.

Id eſt, flores, qui hortos ditant.

--- *Medio ſtat pectore fixus*
Frontis honos, roſeaque decor cervicis, &c. Petav.

Id eſt, pulchritudo, vel modeſtia, vel majeſtas, quæ frontem decorant,

Ita honor pro iis omnibus uſurpatur, quæ ſunt aliis rebus honori & ornamento.

--- *Aut ſupplex aris imponat honorem,* Virgil.

Id eſt, victimas mactandas,

Pome-

Vomeris hic & falcis honos, huc omnis aratri
Ceſſit amor, recoquunt patrios fornacibus enſes. Virg.
Quia vomer, falx, aratrum, &c. ſunt ruſticæ domûs ornamenta & honos. Ea antem, dicit Poëta, ceſſiſſe in enſium fabricationem.
O ubi venturæ ſpes non longinqua ſenecta,
Atque genis optatus honos? Stat.
Id eſt, diadema.
Nec fronti vittatus honos. Subaud. hæret. Stat.
Id eſt, diadema.
--- *Namque illa decoram*
Cæſariem nato genitrix lumenque juventæ
Purpureum & lætos oculis afflavit honores. Virgil.
Subaud. Venus, quæ Æneæ oculis igneas quasdam inuſitatæ gratiæ ſcintillas afflaverat.

SYLVA, quando ad frondes alicujus arboris, aut folia plantarum transfertur, eſt vox Synecdochica; quando aliis rebus tribuitur, eſt Metaphorica.
--- *triſtisque lupini*
Suſtuleris fragiles calamos, ſylvamque ſonantem. Virg.
Id eſt, frondes.
--- *Tot vulnera belli*
Salvus obit, denſamque ferens in pectore ſylvam.
Lucan.
Subaud. telorum, quibus trajectus fuerat.
Ita Milliæus ſpineam Chriſti coronam ſylvam vocat
--- *Pulſa horrida ſylva*
Et cerebro, fixisque ſubit mucronibus oſſa.

Adjectiva participia REGNATUS, TRIUMPHATUS, ERRATUS, ex verbis neutris paſſiva, & à Poëtis eleganter uſurpata, ad Poëticos Idiotiſmos ſpectant.
Tu civitatem quis deceat ſtatus,
Curas; & urbi ſollicitus times.
Quid Seres, & regnata Cyro
Bactra parent, Tanaisque diſcors, Hor.
Bisque triumphatas utroque ab littore gentes, &c.
Virgil.
--- *Stet Capitolium*
Fulgens, triumphatisque poſſit
Roma ferox dare jura Medis. Hor.

Quò feror? immenſum eſt erratas dicere terras. Ovid.

Hactenus in ſuperioribus exemplis indicavi, ad quem ſingulæ elegantiæ Poëticæ fontem pertinerent. In ſequentibus *Voces* tantum, & Poëtarum verſus, quibus earum uſus comprobatur, afferam, tuum erit, ad ſuam ſingulas claſſem ex præceptionibus ſuperius traditis revocare.

ANIMA.

Purpuream ille vomit animam. Virgil.

Id eſt, ſanguinem.

Et molles Zephyrorum animæ.

Id eſt, flatus.

SEDES.

Quis novus hic noſtris ſucceſſit ſedibus hoſpes. Virgil.

Id eſt, in noſtram domum.

Tendimus in Latium, ſed ubi fata quietas
Oſtendunt. Virgil.

Id eſt, novum regnum.

Non ego Mirmidonum ſedes, Dolopúmve ſuperbas,
Aſpiciam. Virgil.

Id eſt, urbes vel domos.

ORAS in plurali numero.

Cum primum Iliacas Danai veniſtis ad oras. Virgil.

Id eſt, in Phrygiam.

Et mecum ingentes oras evolvite belli. Virgil.

Subaud. ô Muſæ. Id eſt, regiones, quas belli furor peragravit.

NUMEN.

--- Quanquam non eſt ſine numine Divûm,

Id eſt, ſine Deorum favore.

FATA.

--- --- Poſtquam te fata tulerunt,
Ipſa Pales agros, atque ipſe reliquit Apollo. Virgil.

Id eſt, poſtquam te mors abſtulit.

I, quo fata vocant.

Id eſt, proſperum, qui tibi aperitur, ſequere fortunæ curſum, vel, quo te vocat Deorum, aut, ſi Chriſtiane loquamur, DEI voluntas.

ARENA.

Urbi etiam magnâ quæ dicitur Æmula Romæ.

Et

Et Chalcedonicas contra deſpectat arenas. Claudian.
Id eſt, Calcedoniam urbem aut Chalcedomicum littus.
Quod genus hoc hominum ; quave hunc tam barbara morem
Permittit patria ? hoſpitio prohibemur arena. Virgil.
Id eſt, ejicimur à littore, quo Naufragi omnes accedere permittuntur.

MATRES, JUVENTUS.

Vocibus illis utuntur Poëtæ fere ſemper, quoties de ingenti fœminarum multitudine, & de hominum concurſu aliquo, ſermo eſt inſtitutus. Utramque Virgilius exemplo uno complexus eſt.

Illam omnes, tectis, agrisque effuſa juventus
Turbaque miratur matrum. Virgil.
Vota metu duplicant Matres, propriúsque pericl0
It timor, & major Matris jam apparet imago. Virgil.

NOTUS CONSCIUS.

Harum vocum elegantiam, etſi ſuperius attigerim, cum deſigendi Epitheta rationem traderem ; eam tamen uno vel altero exemplo hic rurſum delibaſſe non pigebit.

Ille fugit notam non uno vulnere dextram, Jonin.
Id eſt, à quâ multas plagas tulerat.
Tuque ô tam ſancta conſcia ſylva necis.
Id eſt, tuque, ô ſylva, in qua vir ſanctus obiit.

CONFESSUS.

Navita confeſſus gelidum pallore timorem. Ovid.
Id eſt, præbens ſui timoris indicia.
--- --- *Vultuque Deam confeſſa receſſit.*
Id eſt, divina quædam ſigna in vultu oſtendens.

BIBO.

Junctum cum fluviis, eorum accolas totamque vicinæ regionis gentem ſignificat.

Et qui prima bibit deprenſi flumina Nili. Martial.
Id eſt, Afri remotiores.
Non qui profundum Danubium bibunt.
Edicta rumpent Julia non Getæ, &c. Horat.
Id eſt, Germani.

GAUDEO.

Quæ Rhodium moles vincere gaudet opus. Martial. Id eſt, quæ vincit, &c.

CADO.

Ad ſignificandam victimarum cædem traducitur.

Multa tibi ante aras noſtrâ cadet hoſtia dextrâ Virgil.

DO pro permitto.

--- *In tergum repulit angues,*
Perque humeros errare dedit. Claudianus

Id eſt, vipereos crines.

---- *Dederatque comam diffundere ventis.* Virg.

JUVAT pro delectat vel expedit.

Panduntur portæ, juvat ire, & Dorica caſtra
Deſertoſque videre locos. Virgil.

Signaque ferre juvat, ſonitûsque audire tubarum. Virgil.

Rara juvant: primis ſic major gratia pomis. Martial.

Neu ſegnes jaceant terræ, juvat, (a) *Iſmara* (b) *Baccho* (c)
Conſerere, atque oleâ magnum veſtire Taburnum (d)

(*a*) Id eſt, expedit (*b*) Montem Thraciæ (*c*) Id eſt, vitibus. (*d*) Apuliæ montem.

DECET, expedit vel oportet.

Nunc hilares decet eſſe genas, frontemque ſerenam
Oſtentare juvat.

STAT, pro certum eſt, (vel ſi de homine agatur) certus eſt (ſi de fœmina) certa eſt, vel uſurpari poteſt in primâ perſonâ, & ſignificare, certus volo.

--- *Stat laudis avitæ*
Exſuperare modum, magnaque Cupidine rerum
Æſtuat. Petavius.

Stat, fines penetrare noti, Claudianus.

Stat conferre manum Ænea: ſtat quidquid acerbi eſt,
Morte pati.

SEDEO.

Cum gelido macies & pallor in ore ſederent. Biderm.

Sedet

---- Sedet ardua celſo
Vertice Majeſtas. Petavius.
---- Obductaque clava trinodis
Ter quater adverſi ſedit in ore viri. Ovid.
Si nihil ex tantâ Superis placet urbe relinqui,
Et ſedet hoc animo. Virgil.
Et id omnino ſtatuerunt.
Idque pio ſedet Æneæ. Virgil.
Et id vult Æneas.
---- Certa ſedet patribus ſententia pugnæ. Virgil.

SURGO.

Nunc majus mihi ſurgit opus, &c.
---- Percipe porro
Quid dubitem? & quæ nunc animo ſententia ſurgat.
Virgil.

Longum eſſet, voces omnes recenſere, quas peculiaris elegantiæ gratia commendat. Satis multas attigiſſe mihi videor, ut in iis reliquarum omnium ſpecimen habeas, & quæ de Elegantiæ Poëticæ fontibus paulo ante aſſerui, uſu ipſo videas in vocibus comprobata. Senties igitur mecum, tibique jam minimè dubium eſt, quin vocum Poëticarum elegantia, ad unum aliquem ex iis fontibus, ad figuras Syntaxeos, ut *plurimus*, *multus*, &c. aut Rhetorices tropos, ut *anima*, *ſylva*, *ſedeo*, &c. aut ad Poëticos Idiotiſmos, ut *notus*, *bibo*, *juvat*, &c. referenda ſit.

Idem erit tuus quoque de ſententiarum elegantia ſenſus, poſtquam me de iis dicentem audiveris. Verum antequam ad illas tranſeam, unum præterea de vocibus monuiſſe, haud erit, opinor, ſupervacaneum & inutile Neque enim prætерire ſilentio poſſum, earum vocum elegantiam mihi ſemper arriſiſſe præ cæteris, quæ Metaphoræ, voces hominum proprias ad res inanimas transferentis, dignitate ſplendeſcit, verbi gratia,

Sic Claudianus graſſantem cædium furorem deſcribit:

--- --- --- Victrixque manus mucrone furenti
Ducitur, & ſiccum gladium vagina recuſat.

 Vaſti-

Vaſtitatem hortis, agris & nemoribus per hyemem illatam hoc diſticho Bidermannus expreſſit:

Cana gelu, & niveis hyemabant arva pruinis,
Et nimus amiſſas flebat & hortus opes.

Tu quoque de aquis, ſuper quas Chriſtus ambulaſſe dicitur, ſic poſſis ſcribere:

Excepit famulo veſtigia pendula dorſo
Unda, ¶ati Dominos officioſa pedes.

Quam elegantiùs, & ad carminis Majeſtatem illuſtriùs, dixit vir clariſſimus, quem jam laudavi, quemque meritò Literati omnes ſuſpiciunt, Dionyſius Salvagnius Boeſius, cùm ita cecinit:

Centum præterea ſileant Fonteſque, lacuſque
Quid ſua per varias jactant miracula terras.

Quam ſi dixiſſet; ſileant illi, qui centum Fontium & lacuum miracula per varias terras jactant; ſpirat enim Majeſtatem, neſcio quam ſolito majorem, Poëtarum oratio, dum agunt nonnunquam cum rebus inanimatis, perinde ac ſi animatæ eſſent, & iis verba rerum animatarum propria accommodant.

SECTIO II.

De Poëticæ Sententiæ Elegantia.

AD Sententiæ, ſeu Poëticæ phraſeos elegantiam multum inprimis confert eximius vocum delectus. Si enim ea ſit in vocibus, quam in ſuperiori ſectione laudabam, elegantia; ſententia ex iis conflata vocibus, multis aſperſa ſit dicendi illecebris, & omnium animis cum blando quodam titillationis ſenſu abblandiatur, neceſſe eſt. Ab iis elegantiæ fontibus, ubi diſceſſeris, occurrunt alii, è quibus non exigua venerum & gratiarum copia ad Poëtarum ſententiam dimanat. Sunt autem ii, Circumlocutio, Figuræ Syntaxeos, quæ in conſtructione poſitæ ſunt, & quædam loquendi formulæ Poëtis familiares, & ab iis eleganter uſurpatæ.

Circumlocutio ducitur 1. A veris rei aut perſonæ adjunctis

junctis cæteriſque etiam locis Rhetorices, quos in Prolegomenis delibavi. v. g.

Rex nemorum Libycæque Leo populator arenæ. Bid.
Quid fruſtra nemorum Dominum Regémque fatigas? Martial.

Id eſt, Leonem.

Obſtupuêre omnes, gelidusque per ima cucurrit
Oſſa tremor. Virgil.

Id eſt, & timore correpti ſunt.

Concretas pigro frigore ridet aquas. Martial.

Id eſt, glaciem.

Aſpice quam denſum tacitarum vellus aquarum &c. Martial.

Sub. decidat. Id eſt, quàm denſa nix,

Ducitur 2. Circumlocutio à fabuloſis rei aut perſonæ adjunctis, aliisque Rhetorices locis ad fabulam aludentibus, v. g.

--- Cum primum craſtina cælo
Puniceis invecta rotis Aurora rubebit. Virgil.

Id eſt, ad primos Auroræ radios.

Intereà placidam redimita papavere frontem
Nox venit, & ſecum ſomnia nigra trahit. Ovid.

Id eſt: Nox adventat.

Frugifer eſt paries, fœcundis ſtromata ſaxis
Collucent, murúmque nitens Pomona coronat.
P. de Buſſieres.

Ita expreſſit Poëta attonſas illas & ad ſerpentes Parieti, hederæ inſtar, arbores, quas gallicè *Eſpaliers* dicimus.

Dixi, elegantiam è figuris quoque Syntaxeos in conſtructione poſitis, in ſententiam Poëticam refundi. Unum tantum hic aut alterum exemplum affero, cum eas figuras multis jam ſuperius illuſtrarim.

Taliter exuta eſt veterem nova Roma ſenectam.
Martial.

Hic eſt figura Synecdoches.

Fortuna ſævo læta negotio, &
Ludum inſolentem ludere pertinax. &c. Horat.

Hic eſt Helleniſmus.

De Poëticis loquendi formulis eſſet modo dicendi locus,

cus. Sed ne actum agere videar, & poſt ejusmodi formularum *Theſauros* & indices deſcriptos, in ſylvam (ut ajunt) ligna importém, aut Soli illuſtrando admoveam candelæ lumen; ſatis erit in præſentia, ſi te moneam, ut in his locorum communium & Poëticarum ſententiarum libris inchoandi ſermonem & finiendi, incipiendi, abſolvendíque Epiſtolas, ſimilitudines & deſcriptiones, deprecandi, ſalutandi, promittendi, & quæras formulas, ſi neſcis, & exſcribas.

SECTIO III.

De Amplificationis Poëticæ Elegantia.

Amplificationis Poëticæ elegantia à ſimilitudinibus, quæ Epici præſertim carminis propriæ ſunt, à deſcriptionibus, ab enumeratione partium, & à quibusdam amplificandi formulis apud Poëtas receptis petenda eſt.

Similitudinum Exempla ſe tibi ubique offerent, ſi in cujuscunque Epici operis paginam intendas oculos.

Deſcriptiones, vel alicujus perſonæ vultum, mores, ingenium exprimunt, vel rem aliquam, Poëticis quaſi coloribus depingunt. Si deſcriptio hæreat in perſonâ, eæ magis Poëſin ſapient, quæ perſonam fictam exhibebunt; ut ſi famem, invidiam, diſcordiam &c. deſcribas. Si deſcriptio ad res duntaxat ſe explicet, eæ magis commendabuntur, quibus plus fabularum aſperſeris, ut ſi in horti deſcriptione, ludentem inter flores Zephyrum, ridentem Floram, Pomonam coronarum fructibus caput oſtentantem induxeris, & cætera hujusmodi è fabulis petita uſurpâris. Vide, & ſi delicato ſis palato, deguſta, ac mecum admirare elegantem fontis deſcriptionem à R. P. de Buſſieres in ſuo *Umbravallis* encomio mirâ fabularum varietate diſtinctam.

Tu vitro fons ſplendidior, cingente coronâ
Marmoreâ nitidus; fies mihi nobilis unda,
Si modo Pierides non excluſére Poëtam
Fonte ſuo, fluctúsque ſacros contingere donant.
Circum auræ ludunt tepidæ, gaudéntque madére
Profilientis aquæ ſtillis, dum frigora captant.

Mollia quid Eurus Zephyrúsque in flamina verſi
Hinc inde humorem expellunt, pennasque viciſſim
Merſant vorticibus: pennas videt altus Olympo
Sol faciles, pingítque ſuos in fluctibus arcus.
Exſpatiantur aquis medio in certamine cygni,
Alisque exagitant ventos, iráque fruuntur
Pugnantûm, remis flantes, remísque ſequuti
Quin & mirantur, quis ſe color induit undis,
Tam vario textu, ſubitâ tam ſplendidus arte,
Illa dio. Sua ſunt etiam ſpectacula Nocti,
Gaudiaque & puro conſpirant ſidera fonti.
Poſtquam Luna polo candentem argentea frontem
Explicuit, ventíque iras poſuere ſilentes,
Najades, ex Arari ſuras & brachia nudæ
Succínctæque ſtolas, trepidant agitare choreas,
Gramina per mollesque herbas in margine fontis
Nec faunos ſatyrosve timent, nam tecta pudica
Horret turba procax, Salientûm è plauſibus humor
Liquitur & ſiccis ſtillans infunditur herbis.
Nunc toto pronæ in latices ſe corpore mergunt.
Depurgántque amnem lutulentum: hinc ora fluentis
Pulchra nitent; clarâ fulgens in imagine vultus.
Invida reſpectat Phœbe, maculásque latentes
Abluat, igniferi prohibet regnator Olympi.

Enumerationes multum etiam Poëticam amplificationem ornant; ſi eas multa varietate diſtinxeris. En! exemplum Nympharum, flores legentium, per enumerationem hujus varietatis gratiâ decoratam, amplificatum.

Hæc implet lento calathos è vimine nexos,
  Hæc gremium laxos degravat illa ſinus.
Illa legit Calathas, huic ſunt violaria curæ,
  Illa papavereas ſubſecat ungue comas,
Has Hyacinthe tenes, illas Amaranthe moraris,
  Pars Thyma, pars Rorem, pars Melilotón amant. Ovid.

Ovidiano exemplo attexo aliud ex eleganti & erudita Sylva Poëtica, quâ P. Franciſcus Meneſtrier Feſtos celebravit Delphini Natales. Ibi præter alia multa ingenioſe admodum excogitata, Principes, Gallici nominis Heroës, è Regiis Delphini Majoribus, ad ejus accedunt

cunas, ut heroicos ſpiritus, & avitarum laudum ſemina in tenerum nepotis pectus inſinuent: Hanc autem Regum enumerationem vide: quanta varietate diſtinxerit Poëta eximius.

Hos inter, Regale genus, tua ſceptra potiti,
Gallia, ſuccedunt Heroës ſtemmate longo
Jam *Caroli Henricique* & nomina Magna *Philippi*.
Inſinuant animos & grandia facta Nepoti.
Porrigit in Venetâ *Clodovæus* Lilia parmâ
Atque ancile ſacrum cœli venerabile pignus
Appendit pueri cunis, & baſia libat.
Inſignis trabeâ *Pipinus* ſtemmatis author
Alterius, Regúmque Parens *Martellus*, eburnum
Auratúmque ferunt in juris Symbola Sceptrum.
Tum primus in regale decus numerare parentem,
Cui dedit indigenas inter proceréſque tueri.
Atque Palatinos inter cenſere Dynaſtas
Delphynum ſalvere jubet, ſubjectaque cunis
Sceptra decuſſatim puero diuturna precatur.
Incedit Tyrio ſplendens *Ludoicus* in oſtro
Ille, cui ſacros Flamen conceſſit honores.
Et dedit eſſe parem ſuperis, aráſque tenere.
Quale micat jubar ex oculis? quæ lumina ſpargit
Innumeris circùm radiatus tempora gemmis?
Incumbit totus puero, ſenſímque capacem
Inſinuans animam, divinum inſtillat amorem,
Et jubet eſſe pium, facient quem fata beatum,
Muſarum *Franciſcus* amor titulíſque ſuperbus
Ipſe ſuis, petit eſſe ſuo dilecta nepoti
Otia Caſtalidum, & Sacri Myſteria Phœbi.
Henricus manibus teneris accommodat enſem,
Et videt in vultu veſtigia certa futuri,
Quantus erit puer, exclamat, quot fata tuorum
Implebis quondam ridentibus editus aſtris?
Exoreris dilectus avis, cœlo auſpice terras
Ingrederis, ſanctamque diem vagitibus imples.
Compenſas & nate moras, quas lenta parenti
Formando natura prius longóque labore
Attulerat: facili ſuperans obſtacula niſu,
In lucem traheris decimi poſt fœdera lecti.

Sis atavo Major. Cognominis etymon imple.
Quod virtus animi infragilis, ferróque parata
Sceptra dedere mihi; ſic tu duo nomina junges:
Meque Patremque ſimul titulo miſcebis in uno
Et *Magnus Lodoicus* eris, cape nobile ferrum
Sæpe quod effuſo tinxerunt vulnera tabo.
Quod tentavit avus, quod Patris Martia virtus
Promovit, cœptoque inſiſtens arduus inſtat.
Perficies; te namque manet pars altera laudis.

De Poëticis loquendi formulis, è quibus etiam non exiguum accedit amplificationi ornamentum, nihil eſt, quod dicam aliud, quam quod de iis, quæ ſententiam illuſtrant, paulo ante monui. Te igitur ad Poëticos Theſauros & locorum communium libros de iis formulis conſcriptos mitto, atque ut eos conſulas, author ſum. Ita ſcilicet pulcherrimas diſces negandi, affirmandi, proponendi, invocandi, comparandi, optandi, deprecandi, gratias agendi, & cæterarum hujusmodi rerum formulas.

CAPUT X.

De Imitatione.

POſtquàm Artis Metricæ tyronem per omnes præceptionum vias circumduximus, quibus ad exquiſitiorem ingenioſæ Poëſeos elegantiam pervenire, ejusque cultu & pigmentis ſuos verſus illinire condiſcat: poſtquam illi varia ſelectarum in multiplici ſcribendi genere Deſcriptionum exempla exhibuimus, ad quorum normam non ſolum nativis Parnaſſi coloribus imbuendæ, verùm etiam amplificandæ orationis modus oſtenſus eſt: operæ pretium eſſe duco, rationem illi aperire, quâ propoſitos ad imitandum Poëtas æmulari, eorúmque ſtylum aſſequi valeat. Hæc verò poſtrema præceptio reliquarum omnium claudet agmen; & quaſi aliarum corona, utpote quæ tum reipſa præſtantiſſima omnium, tum uſu ipſo compendioſa & certiſſima eſt; huic Arti Metricæ coronidem imponet. Sic igitur tyroni reliquis præceptis

ptis imbuto, ulterior illa, quam aperio, in Artis Metricæ diſciplina, progrediendi via jucunda eſt.

I. Poëtas illos in manum ſumat, qui cæteris elegantiùs in rebus, ad mores pertinentibus, aut in deſcriptionibus amœnis ac floridis rerum, quæ ſe oculis omnium paſſim offerunt, vim ſuæ Poëſeos & acumen ingenii exercuerunt. II. In iis libris ſeligi ſibi à viro Docto & Poëſeos non ignaro curet ea, in quibus ſe uberius, faciliùs & elegantius Poëtæ diffundit ingenium, tum ea alio Verſuum genere Poëtæ retentâ phraſi, aut in aliam ſimilem mutatâ, reddere ſtudeat; & exempli ad imitandum, hac novorum Verſuum ratione, propoſiti ſuccum Poëticum haurire ac penitùs combibere, hujusmodi exercitatione addiſcat.

Sic fiet, ut brevi Poëtarum, è quibus reddenda aliis atque aliis Verſibus exempla deſumet, non diſcipulus, ſed æmulus: non æmulus, ſed plerumque Magiſter illis ſuperior evadat. Senecæ porro tragœdiarum tum in ſcenis, tum in choris; in Ovidii Libris, in Odis Horatii multa ſe exempla offerunt, quæ alienam Verſuum novorum formam & facile & eleganter induent, ſi iis verſandis ac recudendis ſe diligenter applicuerit ſolers & laborioſa ſtudioſi tyronis induſtria. Quòd ut ſtatim conſtare artem hanc legenti poſſit, ecce Oden primam Horatii, Elegiacis verſibus à me redditam, ut imitationis, quam propono, exemplum tyronibus eſſe poſſit.

Carminum Horatii Ode prima è Verſibus Aſclepiadicis in Elegiacos traducta.

Horatiana Carmina.

Mecœnas atavis edite regibus,
O & præſidium & dulce decus meum,

Verſio.

Edite Mecœnas Priſcorum ſanguine regum,
O & præſidium dulce decusque meum.

Horatiana Carmina.

Sunt quos curriculo pulverem Olympicum

Colle-

Collegiſſe juvat, metaque fervidis
Evitata rotis,

Verſio.

Sunt quos curriculo pulvis collectus Olympi,
Illæſusque juvat meta relicta rotis.

Horatiana Carmina.

----- Palmaque nobilis
Terrarum Dominos evehit ad Deos.

Verſio.

Palma ubi prælati merces & gloria curſus,
Terrarum ad Dominos fert ſuper aſtra Deos.

Horatiana Carmina.

Hunc, ſi mobilium turba Quiritium
Certat tergeminis tollere honoribus:
Subaud. nunquam ambiendis honoribus dimovere poteris.

Verſio.

Hunc ſi mobilium variabilis urna Quiritum,
Munia tergemino tollit ad alta gradu.

Horatiana Carmina.

Illum, ſi proprio condidit horreo
Quidquid de Libycis verritur areis,
Gaudentem patrios findere ſarculo
Agros: Attalicis conditionibus
Nunquam dimoveas, ut trabe Cypriâ
Myrtoum pavidus nauta ſecet mare.

Verſio.

Illum ſi Libycas congeſſit in horrea meſſes,
Area quas largo trivit operta ſolo.
Si patriis gaudet committere ſemina glebis,
Quæ poſt multiplici fœnore reddat ager.
Nunquam dimoveas, Pelagi ſe credat ut undis,
Attalicas quamvis pollicearis opes.

Horatiana Carmina.

Luctantem Icariis fluctibus Africum,
Mercator metuens, otium & oppidi
Laudat rura ſui;

Verſio.

Mercator metuens luctantem fluctibus Auſtrum
Jam patriâ vellet rutior eſſe domo.

Horatiana Carmina.

----- Mox reficit rates
Quaſſas, indocilis pauperiem pati.

Verſio.

Aſt ubi clamatos licuit contingere portus,
Atque procelloſi concidit ira Noti,
Jam terræ impatiens, ædesque peroſus egenas,
Reſtituit laceræ membra refulſa ratis.

Horatiana Carmina.

Eſt qui nec veteris pocula Maſſici,
Nec partem ſolito demere de die
Spernit, nunc viridi membra ſub arbuto
Stratus, nunc ad aquæ lene caput ſacræ.

Verſio.

Sunt quibus haud ſpreto fumant repetita Falerno
Pocula, per ſolidos continuata dies.
Sive ſub arbuteis celebrant convivia ramis,
Seu fontem ad ſacrum lene fluentis aquæ.

Horatiana Carmina.

Multos caſtra juvant, & lituo tubæ
Permiſtus ſonitus, bellaque matribus
Deteſtata.

Verſio.

His mage caſtra placent, lituique, tubæque ſonantes,
Bellaque fœmineis exululata choris.

Horatiana Carmina.

----- Manet ſub Jove frigido
Venator, teneræ conjugis immemor:
Seu viſa eſt catulis cerva fidelibus,
Seu rupit teretes Marſus aper plagas.

Verſio.

Conjugis hic teneræ oblitus venatibus inſtat,
Et ſequitur duram nocte dieque Deam.

Nempe

Nempe premit viſam canibus per devia cervam
Aut rupta egreſſum retia quærit aprum.

Horatiana Carmina.

Me doctarum hederæ præmia frontium
Dîs miſcent Superis.

Verſio.

Ipſe hederas malo, Lyricorum præmia Vatum
Miſcet me hæc ſuperis teſſera nota Diis.

Horatiana Carmina.

----- Me gelidum nemus,
Nympharúmque leves cum Satyris chori
Secernunt populo: ſi neque tibias
Euterpe cohibet, nec Polyphymnia
Lesboum refugit tendere barbiton.

Verſio.

Me nemora & Nymphæ, me ruſtica numina Fauni
Secernunt populo, ſi modò Muſa favet.
Nec citharæ refugit Polyphymnia tendere chordas,
Nec fruſtra Euterpes tibia poſcit opem.

Horatiana Carmina.

Quòd ſi me Lyricis Vatibus inſeres:
Sublimi feriam ſidera vertice.

Verſio.

Quòd ſi me Lyricis habeas de Vatibus unum,
Sublimi feriam vertice celſa poli

Huic exemplo adjungo aliud, in quo non intra meræ verſionis fines me continui, ſed in paraphraſin excurri. Ad hanc autem paraphraſticam verſionem, cujus etiam exemplnm tyronibus debeo, primam è Seneca Troados ſcenam, utpote ad hoc exercitationis genus aptiſſimam, ſelegi.

Senecæ Verſus.

Quicunque regno fidit, & magâ potens
Dominatur aulâ, nec leves metuit Deos;
Animúmque rebus credulum lætis dedit,
Me videat, & te Troja.

Paraphraſtica Verſio.

Qui regnis opibúsque potens, procerúmque coronâ
Cinctus, adoratâ populis dominatur in aulâ;
Nec fortis timet inſidias, Superûmque favorem
Heu nimis infidum! ſed ſpe deluſus iniquâ,
Perpetuos regno ſtabili ſibi ſpondet honores:
Me videat, cinerésque tuos, ô Troja, potentis
Imperii paulò ante caput, nunc præda furentis
Vulcani, magníque nihil niſi nominis umbra.

Senecæ Verſus.

----- Non unquam tulit
Documenta fors majora, quàm fragili loco
Starent ſuperbi: Columen everſum occidit
Pollentis Aſiæ, Cœlitum egregius labor.

Paraphraſtica Verſio:

Triſtius haud ullum levis inconſtantia ſortis
Edidit Exemplum, nec retro temporis acti
Sic docet ulla fides, quam Regum nixa caduco
Stet fortuna gradu. Cecidit Troja illa, ſuperbis
Quæ modo tot Regum florebat ſplendida gazis,
Everſum eſt Aſiæ columen, proſtrata recumbunt
Mœnia tam magno Superûm perfecta labore.

Senecæ Verſus.

Ad cujus arma venit, & qui frigidum
Septena Tanain ora pandentem bibit;
Et qui renatum pronus excipiens diem,
Tepidum rubenti Tigrin immiſcet freto;
Et quæ vagos vicina proſpiciens Scythas,
Ripam catervis Ponticam viduis ferit.

Paraphraſtica Verſio.

Cujus ut hoſtili cinctas indagine turres,
Argolicisque premi Trojanum claſſibus æquor
Fama tulit, ſubito Eoas diffuſa per urbes,
Protinus è ſociis ruit undique concita regnis
Vis equitum peditúmque ingens, ſi forte tueri
Auxilio obſeſſos poſſint, & vincere fata.
Adveniunt denſis ſtipata per agmina ſignis,

Qui-

Quique bibunt Tanain, quique almæ lucis adorant
Naſcentes radios Erythræi ad littora Ponti;
Tigris ubi jungi Nereo feſtinat, & undas
In mare præcipitat, tûque ô Regina propinquis
Formidata Scythis, quæ Palladis æmula ripas
Accolis Euxinas, armisque laceſſere Martem
Gnara & virgineæ ductrix animoſa catervæ,
Naturam, timidúmque auſa es tranſcendere ſexum,

Senecæ Verſus.

Exciſa ferro eſt. Pergamum incubuit ſibi,
En! alta muri decora congeſti jacent,
Tectis aduſtis. Regiam flammæ ambiunt;
Omnesque latè fumat Aſſaraci domus.
Non prohibet avidas flamma victoris manus;

Paraphraſtica Verſio.

Erro exciſa jacent toties invicta Pelasgis
Pergama, procubuêre ſolo cum turribus arces,
En! muri Trojæ ſtantis decora alta, profundâ
Telluris faciem circumtexêre ruinâ
Reliquiæ triſtes, urbis monumenta ſepulta.
Jámque adeo Priami regalia tecta ſequaces
Corripuêre rogi; turrita cacumina flammæ
Præda prior, ſubito in volucres arſere favillas.
Perque imas graſſatur adhuc circumfluus ædes
Mulciber, & totis victor penetralibus errat.
Inſtant Grajugenæ, dumque hæc incendia paſcunt,
Immites oculos, medios conſpecta per ignes
Præda micat, non in Phrygiis liquenda caminis,
Sed Lacedæmonio ſpe jam devota triumpho.
Huc ſe præcipitat nil flammâ territus hoſtis,
Seque ardens ultro gazis ardentibus infert,
Nec potis eſt prohibere manum Vulcanus avaram,

Senecæ Verſus.

Diripitur ardens Troja, nec cœlum patet
Undante fumo; nube ſeu denſâ obſitus,
Ater favillâ ſqualet Iliacâ dies,
Stat avidus ira victor, & lentum Ilium

Metitur oculis, & decem tandem ferus
Ignoſcit, annis, &c.

Paraphraſtica Verſio.

Troja ardens rapitur, ſævóque rapacior igne
Græcus in urbe furit, ſtimulante cupidine præda,
Intereà denſus tenebris obvolvitur aër,
Et glomerans nigri ſinuoſa volumina fumi,
Eripit attonitis ſpectacula triſtia Divis.
Non ita crudelis victor, miſeratio nulla
Aut pietas mollire poteſt, ſtat neſcia flecti
Ira Ducum, ſtant indociles manſueſcere viſus,
Obtutuque juvat metiri incendia Trojæ.
Hic victor ſibi plaudit ovans, animoque revolvens,
Quanti Troja ſtetit Danais, nunc illa cruenti
Aſpera ſors belli, tot prælia funera luctus;
Duratæ in caſtris hyemes; durata madenti
Sub galeâ, decies revolutis orbibus æſtas
Hac mercede placent.

Hic ſiſtit Scenæ tragica Paraphraſtica verſio, cujus ultimus verſus ideò intactos reliqui, ut in iis ſe tyrones exerceant, & ita fabricando fabri, hoc eſt, præſtantiſſimi verſuum effectores evadant. Hoc verò ſi Artis hujus Metricæ uſu conſequantur, gratulentur ſibi, DEO, luminum parenti, gratias agant. Muſas ſuas virtuti conſecrent, & ab omni obſcœna Poëſi, tanquam à certiſſima morum & animorum peſte abhorreant.

FINIS.

[illegible] by Google

48

005656517





Digitized by Google